

John Carter Brown.

66

Mr Lenox showed me a copy of this Book, in Newport July 23, 1877 which was sent him from London (price £30) which contained 4 or 5 folding plates.

I think the portrait in this copy does not belong to the book, although it is an old one.

J.R.B.

Jan 24. 1877

£2-2-0



Sr FRANCIS DRAKE one of the firſt of thoſe wch in his Sea voyages put a Girdle about the World. He Died upon the Seas. Anno Dnī 1595 · W.M. ſculp:

NARRATIONES DVÆ ADMODVM MEMORABILES,

QVARVM PRIMA CONTINET DIARIVM EXPEDITIONIS FRANCISCI DRAKI EQVITIS ANGLI IN INDIAS OCCIDENTALES SVSCEPTÆ,

ANNO M D LXXXV.

ALTERA

OMNIVM RERVM AB EODEM DRAKO ET NORREYSIO in LVSITANICA irruptione geſtarum fidelem continuationem ſubjicit.

Emendatiùs quàm antea editæ.

Additis inſuper tabulis Geographicis accuratiſsimis.

NORIBERGÆ,

Typis Chriſtophori Lochneri, & Iohannis Hofmanni.

ANNO MDXC.


SR FRANCIS DRAKE VICE ADMIRAL IN THE REVENGE

 JOHN CARTER BROWN

EXPEDITIO
FRANCISCI DRAKI
EQVITIS ANGLI
IN
INDIAS OCCIDENTALES
*A*NNO M D LXXXV.

FRANCISCVS DRAKVS EQVES ANGLVS, augere ſtudens nomen Principis patriæque ſuæ, de expeditione in Indias Occidentales iterum cogitavit, eamque in rem claſſem viginti quinque navium paravit; in quâ fuêre bis mille trecenti tum milites, tum nautæ, & eam in portum Plymouthenſem pridie Idus Septembr. ANNO M D LXXXV deduxit. Capitaneos autem aliquot ſtrenuos aliosque viros nobiles comites habuit, quorum nomina iſta, Chriſtophorus Carleil Vicarius Generalis (ut vocant) homo rei militaris qua mari, qua terra peritiſſimus. Antonius Povvel, Sergantus Maior exercitus totius, ut hodie dicunt. Matthæus Morgan, Ioannes Sampſon, Antonius Plott, Ioannes Marchant, Eduardus VVynter, Ioannes Goringe, Robertus Pievv, Georgius Berton, VValterus Bygges, Richardus Stanton, Ioannes Hannam.

Et hi quidem terrâ militiæ Duces ſive Capitanei: mari, naviumq; præfecti, iſti: Martinus Frobicher Viceadmirallius, vir rei maritimæ peritiſſimus, qui antè aliquot aliis expeditionibus etiam toti claſſi præfuerat, Franciſcus Knollis, Thomas Frenar, Gulielmus Cicel, Iacobus Carleil, Henricus VVhyte, Thomas Drake, Thomas Seely,

Capitaneus Rivers, Capitaneus Martinus, Capitaneus Baylie, Capitaneus Croſſe, Capitaneus Forteſcus ,Capitaneus Carleſe, Capitaneus Hauukins, Capitaneus Erizo, Capitaneus Moone, Capitaneus Vaghan, Capitaneus Varney, Capitaneus Gilman, Nobilesque alij multi, quorum nomina hîc non recenſentur.

Poſtquam hinc XVIII. Kalend. Octob. ſolviſſemus, primùm venimus ad BAIONIAS INSVLAS Hiſpaniæ, quò tùm ventus adverſus tum tempeſtas ſubitò exorta, & aquæ recentis penuria nos appellere coëgit. Vixdum anchoras jeceramus, cùm Generalis noſter naves omnes majores minoresq; militibus & omne genus armis inſtrui, inq; omnem eventum paratas eſſe jubet. Quo facto, conſcendit etiam Galeottam ſuum (ita genus navigii quo ipſe vehebatur vocamus) urbemq; BAIONAM verſus tetendit, eam, DEO bene adjuvante, occupare cogitans. Vixdum dimidiam leucam huius itineris cōfeceramus, & ecce quidam mercator Anglus à præfecto urbis ad nos mittitur, quæſitum, qui cuiatesq; eſſemus. Cum quo Generalis noſter aliquandiu collocutus, accerſivit ad ſe Capitaneum Sampſonem, eumque ad Præfectum miſit, duo ſciſcitaturū, quorum certior ab ipſo fieri vellet. Primum, bellúmne apertum inter Anglos Hiſpanosque eſſet: deinde, cur mercatores noſtri illic cum mercibus ſuis detinerentur. Qui ut cum mercatore in urbem venit, vidit cives omnes Præfectumq; ipſum non parum attonitos ac turbatos, ob tam repentinam tantæ rei novitatem. Interea Generalis noſter, conſilio Chriſtophori Carleil Vicarii ſui Generalis, cōſtituit ſibi non alibi morandum diutiùs, ſed urbem ipſam propiùs accedendā: unde, ſi fortaſſis ita facto opus eſſet, reverſo Sampſone, faciliùs ante tenebras, præter opinionem omnium, eam occupare aut etiam oppugnare poſſet. Rediit inde Sampſon, cum hoc reſponſo. Primum, quantum ad pacem aut bellum: Præfectum non habere quid reſpondeat; utpote qui unus è ſubditis Regis ſui dumtaxat eſſet, penes quem, non ſe, belli indicendi poteſtas eſſet. Mercatores autem eorumque merces mandato Regis detentas fuiſſe, non tamen eâ mente ut damni quid inde paterentur: & ante octo dies aut circiter eiusdem mandatum promulgatum eſſe alterum: mercatores Angli cum mercibus ſuis liberè ire quò vellent ſinerentur. Ad cuius rei fidem mittebat unà ad nos noſtræ gentis mercatores aliquot, qui tum in urbe erant, & in partibus illis negotiabantur. Qui cùm id quod res eſſet, Generali noſtro expoſuiſſent, in conſilium à noſtris itum, quid potiſſimùm facto opus. optimumq; & neceſſarium viſum, ob noctem

jam

jam imminentem, quamprimùm in terram ire. id quod demum jam multâ veſperâ factum eſt. Vbi, lecto loco, noſtris, quàm fieri poterat, commodiſſimo, vigiliisque ubiq; diſpoſitis, totam noctem conquievimus. Quò poſtridie, ad nos reficiendos, Præfectus urbis miſit panem, vinum, oleum, poma, uvas, marmaladum (ita ſcitamẽtum quoddam mellitum ipſi vocant) & id genus xenia alia. Circa mediam noctem ſubitò mutata aëris tempeſtas conſilium nos etiam mutare coëgit: tutiusq; viſum nos quamprimùm in naves noſtras recipere, quàm diutiùs ibi hærere. Sed antequam ad claſſam noſtram pervenire poſſemus, tempeſtas ingens repentinò oborta; ita ut pleræq; naves anchoris ſolutis fluctuarent, aliæ, nõ ſine magno diſcrimine vectorum, committere ſtatim vela ventis cogerentur: inter quas quædam nomine Tallebot, item alia Haukins, & alia quę vocata Speedvvel. hęc ſola variè agitata in Angliam appulit: duæ iſtæ nos iterũ ſecutæ, & adſecutæ. Trium dierum hæc tempeſtas fuit. Quæ ut primum ſedavit, Vicarius Generalis Carleil à Generali noſtro cum ipſius Galeotta aliaque navi ſua & tribus aliis, minutisq; aliquot naviculis ad urbem VIGONEM miſſus viſere, ſi quid ſibi illic locisve vicinis prædæ aut emolumento eſſe poſſet. Vbi naves aliquot cepit ſupellectile multa aliisque haud magni pretii rebus onuſtas. Conqueſtos cives pòſt intelleximus, ea quæ vice iſta amiſerant plus quadraginta millibus Ducatorũ valuiſſe. Poſtero die ex hisce Inſulis Generalis noſter ſolvit, & VIGONEM à tergo relinquens, portum nõ procul inde ſibi quàm commodiſſimum delegit, tam ob ſtationem navium tutiſſimam, lociq; opportunitatem, quàm etiam ob aquam ibi recentem. Vbi dum claſſis noſtra ſedet, Gubernator GALLICIÆ (regionis, ut volunt, olim Callaicis inhabitatæ) manum tot militum quot potuit ſubitò collegit, ut videbatur, bis mille peditum & equitum trecentorum: cumq; iis in eam partem regionis conceſſit, ubi optimè claſſem noſtram in cõſpectu habere poſſet: atque ibi ſuos manere juſſit. Vnde ad nos miſit qui Generalem noſtrum ad colloquium poſceret, quod conceſſum eâ conditione, ut in actuariâ aliquâ aut aliâ minutâ navi ad eum veniretur, obſidesque utrinque darentur. Quod ſtatim ut ratum habuit Gubernator, cum duobus comitibus ſeſe ſcaphæ noſtri Viceadmirallii commiſit, quæ pro eo ad littus miſſa fuerat: eique Generalis noſter cum ſcaphâ itidem ſuâ obviam proceſſit. Vbi convenit, aquæ recentis tantum quantum vellemus uſuique noſtro neceſſarium eſſet, nobis per homines noſtros haurire, aliaq; omnia ad nos reficiendos, pretio juſto perſolu-

to, ibidem comparare liceret. Sic inde ſolventes, velificati ſumus verſus inſulas CANARIAS, occupare rati Inſulam PALMAM, ibiq; meliori ordine diſponere res noſtras, & nos rebus omnibus neceſſariis pleniùs inſtruere, quas regio illa copioſiſſimè ſuppeditatura eſſet. Sed quia nuſquam appellere poteramus, niſi ad locum quemdam pluribus propugnaculis munitiſſimum, expoſiti ſemper jactibus tormentorum bellicorum, pedem referre inde coacti ſtatim fuimus, crebris Canonibus (ita hodie tormenta bellica majora vocant) nos petentibus, quibusdamq; eorum ad naves noſtras uſque pervenientibus globis, tam magnis quàm ulli alii quorum hodie uſus. Sed imprimis nos iſtinc etiam abire cogebant maris tunc æſtus verticesq; maximi, qui actuariis navibus noſtris ſcaphisq; exitium præſens minabantur. Hac igitur invadendę inſulę huius ſpe fruſtrati, petivimus aliam, Inſulam DEL FERRO vulgò dictam; (hanc quidam Pluitaliam olim dictam volunt) ſi fortaſſis ibi meliùs nobis ſuccederet. Ad quam ut appulimus, mille milites ſtatim terram intrare juſſi, inq; valle collocati, ad radices excelſi cujusdam montis. Vbi tres quatuórve horas dumtaxat morati ſumus: cùm interea indigenæ ad nos veniunt, adducentes ſecum adoleſcentem Anglum, eiusdem regionis incolam, qui nobis inſulam tunc pauperrimam atq; in miſerrimo ſtatu eſſe adfirmabat, eosque ferè jam eò egeſtatis deveniſſe, ut inedia morerentur. Quod comperto eſſe veriſſimum, inanes inde diſcedere navesq; ſtatim conſcendere, & eâdem illâ nocte verſus oras Africæ tendere, Auſtro Subſolanoq; ventis ſpirantibus, juſſi ſumus. Die Sabbati Idibus Novembr. pervenimus ad regionem vulgò CAPO BIANCO dictam, ſolitariam valde & depreſſam: ubi mari perquàm vadoſo piſcium vim magnam cepimus. Pòſt venimus ibi ad locum quemdam, (ſtatio navium eſſe videbatur) ubi naves aliquot Gallorum bellicas offendimus, quas, præfectis earum ſive navarchis quàm humaniter prolixeque exceptis, ibi reliquimus. Prandio ſumpto, claſsis noſtra iterum congregata, quæ variè antè dum piſcamur, hîc illîc diſperſa fuerat. Vnde volavimus verſus inſulas DEL CAPO VERDE dictas, navigantes uſque ad XVI Kalen. Decembr. cum manè ſummo obtulit ſeſe conſpectui noſtro inſula D. IACOBI: & ſub veſperam anchoras jecimus inter oppidum nomine PLAY vel PRAY & FANVM D. IACOBI, quæ totius inſulæ metropolis illiq; dans nomen. Hîc mille milites in terram deſcendere, duce Chriſtophoro Carleil Vicario Generali noſtro, qui tunc rem ibi, ut & ſemper aliàs, prudenter & ſtrenuè geſsit. Via quâ primùm ire debebamus

bamus difficilis valde & ſalebroſa erat, ut pote in qua colles convalleſq́; innumeræ,& ſaxa obvia multa,ad quæ offenderemus. A quibus dū nobis cavemus,ordines noſtros deſerere ſæpiùs coacti fuimus. Sed non priùs nos quieſcere paſſus dux noſter,quàm in planum apertumque campum agmen omne eduxiſſet, & ibi quemq; ad ordinem ſuum redire juſsiſſet.Cumq;ita per planitiem inſtructâ acie progreſsi,dimidiâ leuca dumtaxat ab urbe eſſemus : ulteriùs pergere aut quid moliri amplius quemquam ante diem exortum idem Vicarius Generalis vetuit:quòd neminem qui nobis viam ad urbem mōſtraret haberemus, & nos locorum ibi omnium ignari eſſemus. Qui, illic aliquandiu ut quievimus,ſemihoram ante diluculum tripartitò copias ſuas diviſit.& jam dum ordines noſtri diſponuntur,dies inalbebat.Acceſsimus propiùs ad urbis mœnia, nec quemquam qui nobis hoſtiliter reſiſteret offendimus.Quocirca dux noſter Capitaneos Sampſonē Bartonemq́; quemq;cum triginta ſclopetariis deſcendere quamprimum in urbem juſſit, quæ in depreſſâ convalle ſita erat: ita ut facile è tumulo montis quem inſidebamus, tamquam è ſpeculâ,quid in ea eſſet aut ageretur ab unâ parte ad alterā deſpicere poſſemus. Quò etiam ſtatim vexillum noſtrum magnum miſimus cruce dumtaxat rubra, inſigni Anglico, diſtinctum,mare verſus erigendum;ut claſsis noſtra ſignum ſuum Regium in propugnaculis hoſtium conſtitutum etiam videre poſſet.Hîc mandatum ſtatim, ut tormenta bellica omnia quæ in urbe adq́; eius mœnia eſſent, in memoriam inaugurationis Regiæ uſq; ad quinquaginta,igne iniecto, evacuarentur: quemadmodum in Anglia ſingulis anniverſariis x v Kal. Decembr. diebus fieri ubiq; ſolemnis moris eſt. Quibus pari ſtrepitu claſsis noſtra, quæ jam appropinquaverat,per ſua etiam tormenta bellica reſpondebat. Fragor ingens erat,qui,mirabile dictu, quàm diu duraverit,aureſque noſtras & incolarum verberaverit. Interea dux noſter majorem partem militum in vertice montis detinuit, donec iis in civitate de manſionibus proviſum eſſet: & mox cuique Capitaneorum regio urbis adſignata eſt, magnâ cum curâ vigiliis ubique diſpoſitis; ita ut ab hoſte metus nullus eſſet. Sic hîc morati per quatuordecim dies ſumus.ubi prædæ loco nobis ceſsit quidquid locus ille ſuppeditabat,vinum,oleum,acetum,farina & hujuſmodi mercimonia alia, quæ inde à mercatoribus in Indias transmitti conſueverant: auri autem vel argenti nihil,nec res quæpiam alia majoris momenti.Sub idem tempus dum ibi adhuc hæremus,evenere quædam alia quæ non indigna hîc etiam referri. Venit quidam

ad

ad nos cum ſigno induciarum : ad quem ſtatim Capitanei Sampſon & Goringius miſsi. A quibus ille primùm quæſivit, cujates eſſent. Cui illi, ſeſe Anglos eſſe. Rogavit deinde, bellúmne igitur inter Hiſpanos atque Anglos indictum eſſet? Reſpondêre noſtri, ſeſe non habere quid ad illud reſpondeant: ſed ſi iſtius rei certior fieri vellet, Generalem noſtrum adiret: commeatus loco ſeſe fidem ſuam interponere, illum ſalvum illæſumq; iturum rediturum. Sed ille propiùs accedere recuſavit, quòd à Præfecto ſuo miſſus non eſſet. Tum illi: Præfectum ſaluti populi patriæq; conſulturum, ſi ſeſe Generali noſtro ſiſtere vellet, atque eius clemētiam humanitatemq; erga ſe ac ſuos experiri potiùs, quàm, ut noſtris ante triduum facere ſententia ſtabat, omnia flamma ac ferro videre vaſtari. Cum quo reſponſo abiit, promiſitq; ſe poſtero die rediturum: ſed nullus pòſt venit. VIII Kalend. Decembr. cum ſexcentis militibus adivimus pagum quemdam in regione. S. DOMINICI duodecim leucas à mari ſitum, quem cùm intraremus, locum vacuum offendimus & ab incolis derelictum, qui in proximos montes tutelæ ſui cauſſâ confugerant. Quapropter aliquantisper hîc ſubſtitimus, ſi fortaſsis quiſpiam eorum nobiscum colloqui vellet. Cumq; jam ſatisquieviſſe videremur, Generalis noſter ſuos eò unde venerant redire juſsit. & ecce, in viâ cum equitibus peditibusque aliquot hoſtis ſeſe oſtendit, non tamen eo numero, ut nobiscum manus conſerere auderet. Ad quem dum reſpicimus, veſpera appetiit interim, ita ut vix ante noctem ad FANUM D. IACOBI pervenire poſſemus. Die Lunæ VI Kalend. Decemb. Generalis noſter omnes naves majores minoresq; paratas eſſe, easque milites conſcendere juſsit: Vicarius autem eius Carleil Capitaneum Goringe cum Vicario Tuckſo & centum ſclopetariis miſit ad forum urbis obſervandum tantiſper, dum copiæ noſtræ in navibus eſſent; quas in portu cum aliquot actuariis minutisq; navibus Viceadmirallius expectabat, inde eas in naves majores impoſiturus. Iuſsit præterea Generalis centuriam Capitaneorum Berton & Bygges Galeram (ita genus navigii majoris hodie vocamus) duasq; naves actuarias conſcendere, & duce Sampſone, civitatem PLAY porrò pergere, ſcrutatum inſtrumenta tormentaque bellica illic recondita, ut à captivo quodam pridie à nobis capto, qui locum etiam indicare promiſerat, intellexeramus. Eò ut appulerunt, Capitaneus Sampſon captivum ſtatim ea quæ occultari illic dixerat, monſtrare juſsit. Quod ille facere non potuit, aut potiùs noluit. Sed nihilominus ſecretiora loca pleraq; perluſtrarunt, inveneruntq; duo tormenta majora,

ferreum unum, æneum item unum. Pòſt meridiem Generalis claſſis reliquam partem anchoras etiam jacere ante eandem urbem, quam nos incendere atq; quàm pote citiſſimè ad naves redire juſſit. id quod repentè factum: & claſſis circa horam ſextam veſpertinam vela iterum ventis tradidit. Sed antequam ulteriùs progrediamur, de ordine diſciplinâque militari in Inſulâ illa S. IACOBI nobis obſervatâ, atq; aliis quibusdam memoratu non indignis, quædam etiam dicenda nobis. Quisque ibi Capitaneus delectum militum ſuorum habebat: qui jurejurando adacti, ſe Regiæ majeſtati Anglicæ, ut ſupremæ dominæ, fideles uſque ad mortem futuros, Generalis eiusque officialium juſſis ſemper obtemperaturos. Illud autem imprimis mirabamnr, quòd omni eo tempore, quo illic hærebamus, nec Inſulæ à Rege Hiſpaniarum Præfectus, nec Epiſcopus civitatis, cujus magna ibi auctoritas, nec civium aut incolarum quisquam nos accederet (à quibus aliquos eam ob rem vèturos indies expectabamus) qui rogaret, ea quæ aſportabamus reddere, aut ſaltem non omnia illis ad vitam neceſſaria auferre, neu urbem incendere vel omnino delere vellemus. Et quamquam uſq; ad duodecim leucas Anglicas (ut ſuprà dictũ) in regionem illorum penetraſſemus, ubi Gubernatorem cum Epiſcopo eſſe, nosq; advenientes fugere audiebamus, & inde redeuntes, illos quòd ſe nobis procul oſtendiſſent, expectaremus: tamen numquam ad nos propiùs accedere voluerunt; etſi oppidò paucos numero mitteremus qui eos ad colloquium poſcerent. Cujus diffidentiæ inſolitæ cauſſam fuiſſe ſuſpicor, memoriam adhuc recentem injuriæ maximæ ab illis ante triennium illatæ Gulielmo Haukins Plymouthenſi, qui illâc etiam expeditione ſuâ iter habuerat, ergaq; quem fidem datam violaverant. Quod facinus, quia id jam paucis ignotum arbitror, repetere hîc vicem hâc ſuperſedebo. Indignè igitur ferentes quòd colloquium ſemper nobis denegaſſent, tum quòd cadaver pueri cujusdam noſtratis temerè in viâ repertum, capite obtruncato inteſtinisq; extractis crudeliſſimè deformaſſent, domos omnes tam rure quàm in urbe, illinc abeuntes, incendimus. Vnde porrò Occidentales Indias verſus pergentes, non ita diu in mari fueramus, cùm nos morbi genus quoddam inſolitum, quaſi contagio quædam, ſubitò invaſit, & è noſtris plusquam trecentos intra exiguum tempus è medio ſuſtulit: quam non priùs ſenſimus, quàm octo dies poſt noſtrum ex INSVLA D. IACOBI diſceſſum, ad quod uſque tempus numerus noſtrûm omnino integer adhuc fuerat. Sed & pòſt multi etiam ardidâ febri correpti fuere, è

quibus pauci in vitâ remanſerunt, illiq; quidem non parum diu pòſt, mentem ac membra viresque omnes vi morbi continuâ debilitati. In corporibus quorundam mortuorum maculæ exiguæ quædam apparebant, non abſimiles iis, quibus cutem illorum qui peſte laborant convariari plerunque videmus. Intra autem 18 dies ab INSVLA D. IACOBI ad S. DOMINICI, primam Indiarum Occidentalium Inſulam ad quam appellebamus, pervenimus. Sed in aliâ INSVLA S. CHRISTOPHORI dictâ ad Occidentem ſitâ diebus aliquot, videlicet Natalium Servatoris noſtri ſolemnibus, morati ſumus, ad reficiendos ægrotos, purgandasq; & aëri ſalubriori exponendas noſtras naves. Vbi Generali noſtro, Vicario, Viceadmirallio ceterisque Capitaneis ſententia ſtetit, inde verſus INSVLAM HISPANIOLAM vela facere; cum etiam ex tunc vires noſtras recuperaſſe videremur. Quò nos imprimis FANI S. DOMINICI, urbis iſtis partibus antiquiſſimæ, fama pelliciebat. In itinere celox quædam eôdem tendens nobis obviam venit: quæ à nobis capta ſtatim, eiusque vectores ſuper omnibus quæ expeditioni noſtræ conducere poſſent, quàm diligentiſſimè interrogati fuerunt. Inter quos unus erat, qui nobis indicabat portum perquàm arenoſum, regionemque circumcirca optimè munitam, & propugnaculum quoddam eſſe tormentis bellicis majoribus pluribus inſtructum: ita ut in terram deſcendere, niſi decem ab urbe paſſuum millibus, absque ingenti periculo non poſſemus. Cujus viæ ſe nobis ducem fore etiam pollicebatur. Quibus intellectis, ſub veſperam milites noſtri in actuarias naves minutasq; alias deſcendere juſſi ſunt, & Generalis noſter etiam in phaſelum, quæ Franucis nominabatur, ſeſe dedit. Noctem totam navigabamus; haud multum conficientes itineris, donec aurorâ exoriente, locum quem petebamus, in conſpectu habuimus. Itaque Kalendis Ianuariis ad terram applicuimus novem aut decem paſſuum millibus, Occidentem verſus, ab elegantiſſimâ S. DOMINICI urbe; cùm in id uſq; tempus non locus alius cuiquam cognitus ibi eſſet, minoribus navibus magis tutus, aut ubi æſtus maris iis faciliùs ſuperarentur. Hinc igitur, videns ſuos omnes in terrâ eſſe, Generalis noſter ad claſſem ſuam quamprimùm rediit, & nos tutelæ divinæ ductuique Vicarii ſui Carleil commiſit. Pòſt, horâ octavâ antemeridianâ, agmen noſtrum incedere cœpit; & circa meridiem propiùs ad urbem venimus: cùm nobiles aliquot principesque civitatis plusquam centum quinquaginta in pulcherrimis ſeſe equis nobis oſtenderunt. qui à Muſquetteriis atq; Hacquebuſeriis noſtris,

qui

qui egregriè à lanceariis protegabantur, quàm creberrimis globis petiti, nullâ vi in nos irruere potuerunt: quos, acie inſtructâ optimè diſpoſitos & ad dimicandum paratiſſimos offendebant, & jam appropinquantes portis mœnibusq; urbis arcere non poterant. Erãt portæ duæ mare verſus tendentes militibus tormentisq; bellicis munitę, nec procul inde ſclopetarii aliquot ad viã in inſidiis collocati. Hîc propè ſcopię noſtræ (quæ mille aut mille ducentorum erant vel circiter) bipartitò diviſæ fuere; eo conſilio, ut eodem tempore in utramque portam impetum faceremus, nec priùs cœpto deſiſteremus, quàm iterum in foro urbis in unum conveniſſemus. Statim ut tormenta in nos dirigi cœperunt, Vicarius noſter, voce magnâ ad animandos ſuos ſublatâ, omni ope ac vi irrumpere in urbem adniſus eſt: ad cujus latus, primus è noſtris tormenti majoris globo ictus, cecidit. Quapropter ne illi iterum tormenta ſua implere poſſent, quantum pòtuit, impedire conatus eſt. Et jam, non quidquam etiam obſiſtentibus iis qui in inſidiis fuerant, magno impetu ac vi ſummâ in portas irruimus, unaque cum illis coacervatim indiſcriminatimq; intravimus urbem: qui ſtatim fugâ potiùs, quàm ſuos hâc illâc diſperſos ſiſtendo aut recolligendo, vitæ ſuæ conſulere coacti fuerunt. Hunc igitur in modum ingreſſi, porrò ad forum civitatis ſtatim perreximus, locũ ſpatioſum, quadratum, ad frontem Templi Majoris. quem ſtatim, alioſq; quoſdam circumcirca, aggeribus undique verſum ductis munivimus, & ibi (loco, ut nobis videbatur, tutiſsimo, & qui optimè defendi poterat) milites omnes noſtros collocavimus. Nec enim tantæ urbis regiones omnes tantillâ manu militum obſervari poterant. Poſtridie latiùs aliquantulum diffuſi, non tamen per dimidiam eius partem, loca adhuc alia nobis maximè commoda ac opportuna occupavimus; circaque ea foſsis undiq; ductis, tormentis item bellicis ubique diſpoſitis ita, ut ſibi invicem optimè reſponderent, urbem per menſem integrum tenuimus. Per quod tempus ſæpiùs ab incolis ac civibus miſsi ad nos qui de ea pretio redimendâ nobiscum agerent. De quo cùm cõvenire inter nos illoſq; non poſſet, ſingulorum dierum tempus matutinum incendendis ædificiis, quæ extra urbem, impendimus: quorum altiſsimorum magnificentiſsimeque è lapide quadrato extructorum deſtructio ingenti labore nobis conſtabat. Et quamquam juberemus per dies aliquot, ab aurorâ exoriente uſq; ad æſtum diei majorem (qui horâ nonâ incipiebat) ducentos ſocios navales nihil aliud agere, quàm in domos omnes quæ extra foſſas & aggeres noſtros, ignem iniicere, interim dum mili-

tes excubarent : tamen vix quartam urbis partem diruere potuimus, tandemq; aliò properantes, vigintiquinq; millibus aureorum eam redimi paſsi fuimus. Inter alia quæ relatu digna illic vidimus, nonomittendum in Palatio ibi Regio, ubi Gubernator regionis habitabat, repertum memorabile quoddam indicium vaſti animi. Introeunti in aulam aliaque Palatii membra per gradus latiſsimos ac faberrimè factos aſcendendum eſt: ubi ſeſe in ſuperiori domus parte ſtatim offert locus ſpatioſiſsimus; (porticum diceres) ad cujus latus alterum inſignia Regis Hiſpaniarum cuilibet intranti ſtatim obvia, ſubq; illis globus ingens complexus ambitũ maris totius & terrę, & in eo equus in pectus ſublatus, pedibus imis globo inſiſtentibus, prioribus autem extra eum erectis, tamquam ſaltare vellent, cum hoc ſymbolo in ore: NON SVFFICIT ORBIS. Cujus dicti ſententiam cum præcipuos ex iis, qui ad nos urbis redimendæ cauſſa venerant, rogaremus: nihil quidem nobis reſponderunt. Mirantur nonnulli, quòd in iſta ampliſsimâ, luculentiſsimâ, ac populoſiſsimâ urbe, & in qua rerum omnium ad noſtros reficiendos neceſſariarum copia eſſet, non multum auri vel argenti reppererimus. Qui mirari deſinant, ſciantq; jam diu eſſe, cùm Indi Inſulæ iſtius, Angliam magnitudine æquantis, indigenæ ab Hiſpanis patria ſua exterminati fuerunt, unaq; cum iis etiam omnes, quibus regionis auri vel argentifodinæ notæ erant : ita ut pòſt moneta dumtaxat ærea ibi uſi fuerint, cujus nos etiam tunc vim magnam offendimus. Merces quæ illinc advehuntur, præcipuæ ſunt, ſaccarum, zingiber ibi natum, coria boum, qui eorum cauſſa ſolùmquàm plurimi magnitudinis pinguedinisq; incredibilis in Orientali Inſulæ parte, regione fertiliſsima, paſcuntur. Multum etiam ibi vini præſtantioris, olei, aceti, item farinæ optimæ in doliis repertum; nec non panni, lini ſericiq; aliquantum ex Hiſpania eò nuper vecti. Supellectilis argenteæ, pro magnificentia civitatis reliquâ, non ita magna copia erat; quòd regionibus illis calidis maior uſus ſit utenſilium ex argilla elegantiſsimè vermiculata (quam Porcellinam ibi vocant, eò ex Indiis Orientalibus vectam) & vitrorum, quæ ibi quàm optima conficiunt. Verùm tamen ibi etiam nonnulla vaſa argentea repperimus, quæ illis impenſò precio comparata, & nobis non magni momenti erant. Inde continentem verſus tetendimus; ad cujus oram venientes, urbem CARTAGENAM tandem in conſpectu habuimus, tam prope littus maris ſitã, ut qui in actuariis navibus noſtris eſſent, inde in eam Collcurinis ſuis facilè jaculari poſſent. Quinque milliaribus noſtratibus

tibus ab urbe in portum primùm intrabatur, quem, nemine prohibente, nam propugnacula aut tormenta bellica ibi nulla, ſub horam quartam pomeridianam ſubivimus. Cùm jam adveſperaſceret, duce Vicario Carleil, propè os portus, in terram deſcendimus, compoſitoque agmine ad reſiſtendum, ſi fortaſsis quis nos in via oppugnare aut ex inſidiis adoriri vellet, ſub mediam noctem pedetentim per littus arenoſum inceſsimus: ne iterum, ut paullò antè, errore illius qui nos ducebat, à via aberraremus. Vix dimidio miliari ab urbe aberamus, & ecce centum inde equites in nos veniunt: qui ad primos jactus ſclopetariorum noſtrorum in fugam dati, cum viâ arboribus ſentibusq; obſitâ, ac per id valde ſibi incommodâ, nobis occurriſſent, eò unde venerant ſe receperunt. Circa idem tempus prope portum fragor ingens tormentorũ bellicorum nobis auditus, ſignum à Generali datũ, Viceadmirallio, Capitaneis Frenar, VVhyte, Croſſe aliisque, ut tunc cum actuariis aliquot navigiisq; minoribus propugnaculum minus ad introitum portus urbi proximum, adorirentur. Qui conatus, quòd locus munitiſsimus, introitusq; anguſtiſsimus ac catena ferrea clauſus eſſet, fruſtra fuit: nec quidquam aliud tunc effectum, quàm ut illi qui miliari integro ad alteram portus partem à nobis aberant, ad arma concitarentur. Copiis noſtris jam nunc diſpertitis, dimidio ab urbe miliari, via qua incedebamus, valde anguſta erat, quæ dumtaxat quinquaginta paſſus lata ab unà parte mare littus alluens, ab altera illud ad quod portus erat, habebat. Hîc locus foſſa extrinſecus cinctus, muroq; è lapide elegantiſsimè ac ad tormenta diſponenda commodiſsimè extructo munitus erat. quo quidem opere nihil effectius fieri poſſe arbitror. In eo nõ plus loci aperti erat, quã quà equus dumtaxat aut plauſtrũ, ſi fortè opus, tranſire poſſet, idque doliis glebar plũenis, vice aggerum, contra impetum hoſtilem optimè munitum. Sex in hoc propugnaculo tormenta majora erant, quæ in frontem agminis noſtri dirigebantur. Erant etiam à parte portus triremes duæ, ſive, ut hodie vocantur, Galeræ, undecim tormentis trecentisque aut quadringentis ſclopetariis inſtructæ, qui nos etiam à latere petebant: propugnaculum autem ipſum à trecentis tum ſclopetariis tum lancеariis defendebatur. Qui omnes, nos ſedulò expectantes, ſæpiùs Canonibus ſclopisque ſuis intonuerunt. Sed nos, antequam luceſceret, opportunitate tenebrarum uſi, juſſu Vicarii Generalis, incedentes ſemper per arenam quam mare, quod jam plurimum receſſerat, proximè alluebat, occultè propiùs ad illos acceſsimus: ita ut ferè omnes tormentorum

ſcloporumque illorum jactus, quibus nos procul arcere ſperabant; vanos fuiſſe appareret. Hîc Vicarius idem Generalis quemquam noſtrûm, antequam ad murum ipſum eſſemus, ejaculari vetuit. Vbi ſimul quâ ſclopis quâ lanceis quàm potuimus maximum in aggeres illos doliorum, locum quem primum aggrederemur opportuniſſimum viſum, impetum fecimus: eosque, quanquam à ſclopetariis ac lanceariis validiſſimè tutarentur, rupimus evertimusque. Et ſtatim, ſclopis noſtris evacuatis, mixtim unà cum illis intravimus. Lanceæ noſtræ quàm illorum longiores, corporaque melius armata erat: quocirca nec telorum nec gladiorum noſtrorum ictus ſatis ſuſtinere poterant. Cumque jam locum cedere nobis cogerentur, impetu primo, Vicarius Generalis noſter Vexilliferum Hiſpanum ſtrenuiſſimè uſque ad mortem ſeſe defendentem manu ſua interfecit: nosq; illos confeſtim inſecuti ſumus, reſpirãdi eis tempus nullum aut locum dantes; & tandem uſque ad forum civitatis pervenimus, quod, aliquandiu ab illis fruſtra contra nos defenſum, facilè occupavimus. Tum illi nobis urbem totam vacuam reliquerunt, ſeſeque extra eam omni eo tempore, quo ibi eramus, continuerunt. Singulorum vicorum exitus aggeribus è terra, & extra eos foſſis artificioſiſſimè ductis muniverant, eorumque etiam introitus diligentiſſimè obſervabant, quorum cuſtodes, paucis interfectis aut vulneratis, facilè à noſtris expugnabantur. Sagittarios etiam Indicos multos numero locis ſibi quàm opportuniſſimis collocaverant, qui quantum poterãt tela ſua venenata in nos torquebant. Horum ictis ſinguli, ſi cutem modò penetrarent, letiferi erant: resque incredibilis ac admiratione maximè digna videbatur, ſi quis ab iis tactus, mortem evaderet. E medio igitur aliquot è noſtris ſagittis illi ſuis ſuſtulerunt, quosdam baculis brevioribus præacutis, cuſpide veneno imbutâ, quos pluſculos ad viam majorem quà transire debebamus in terram fixerant, ita vulnerabant, ut à morte non procul abeſſent. Sed eorum ictus pleroſque per littus maris, non illâ quâ putaverant, incedentes, vitabamus. Multa hîc tum temporis accidere alia, quæ, cùm otiũ ad ea referenda non ſit, volens prætermitto. Inter quæ illud fortaſſe etiam non indignum relatu videatur, quemadmodum Capitaneus Sampſon, qui lanceariis primi agminis præerat, primo introitu crebra per gladiorum ictus vulnera acceperit: item, ut Præfectus urbis Alfonſus Bravus ſeſe à Capitaneo Goringe qui in eodem agmine ſclopetariis præerat, ab eo priùs enſe vulneratus, capi paſſus ſit. Erat etiam in primo agmine Capitaneus VVynter, & ipſe

quoque

quoque Vicarius Generalis. Capitaneus Povvel Sergantus Major medium: Morgan, qui ad Fanum S. Dominici primo præfuerat, noviſſimum agmen ducebat. Denique omnes tam lubenti alacrique animo in hoſtes irruerant, ut illi impetu tanto ſuſtinendo non eſſent. Hîc ſex ſeptimanas morati ſumus, nec morbus ſuprâ dictus noſtros interim, non tamen numero tantos ſimul aut tam vehementer, ut antè, vexare deſiit. è quibus pauci qui eò laboraverant, ad priſtinas vires, imò vix etiam ad mentem redire poterant. Vnde proverbium inter noſtros erat in minus conſideratè loquentem, ut eum CALENTOVRA (ſic calida febris Hiſpanis dicta.) laboraſſe diceremus. Erat enim hæc (ut ſupra etiam diximus) calida, continua, & peſtifera febris, quam ex aëre veſpertino impuro, quem SERENAM vocant, ibi hauſto natam volunt. Quemlibet enim circa veſperam ibi ſub aëre manentem, niſi Indus vel regionis indigena ſit, eo infici ac pòſt peſtiferâ iſtâ febre corripi, certò affirmant. Noſtri autem plerunque ſub cœlo iſto contagioſo, & cumprimis in Inſulâ D. Iacobi, excubias agebant. Et tunc morbus hic continuus quàm maximè numerum noſtrorum diminuens, ne iter porrò INSVLAM NOMBRE DE DIOS verſus, indeque terrâ in PANNANIAM, cœptum abſolvere poſſemus, impediit. unde auri argentique vim multam, præmium continui laboris noſtri, auferre & advehere ſperabamus. Ac ideo primùm CARTAGENÆ redire in patriam, nobis ſententia ſtetit. Vbi, ut etiam antè ad Fanum D. Dominici, Hiſpanis quàm familiariſſimè uſi ſumus, ſæpiusque illos, ut & illi nos viciſsim, quàm prolixiſsimè convivio exeepimus: ita ut & Præfectus urbis ipſe cum Epiſcopo nobilibusque aliquot aliis, Gubernatorem noſtrum officii cauſſâ adiret. Multa hîc etiam, quemadmodum & illic, ædificia extra urbem incendimus diruimusque: quòd primo colloquio etiam de pretio redemtionis inter nos convenire non poſſet. Pòſt tamen convênit, pro reliquâ urbis parte, quæ ad huc ſtabat, centum & decem millia aureorum nobis ſolverent. Vrbs hæc, ut vides, licet Fano S. Dominici dimidiâ parte minor, multò majus pretium redemtionis ſui numeravit: quæ opulentior longè tum ob portum quem habet commodiſsimum, & quòd ſita loco, unde merces commodiſsimè in INSVLAM NOMBRE DE DIOS aliasque regiones transvehuntur, mercatoribusque ditiſsimis inhabitata, jure majoris momenti nobis habita fuit. Fanum verò S. Dominici Nobilibus, Iuriſconſultis, iisque, qui juri dicundo præſunt, majorem partem incolitur. Eſt enim ibi curia, ad quam incolæ inſulæ

iſtius

iſtius aliarumque vicinarum provocare conſueverunt. Rumor autem Fani S. Dominici à nobis occupati viginti dies antequam eò appelleremus, ad illos pervenerat: qui tẽpus eis ſeſe cõtra nos armandi interim, civitatiſque muniendæ, & auri ac argenti vim omnem & quidquid momenti ibi majoris, aliò transportandi, abunde ſatis dederat. Hîc igitur, ut eò unde digreſſus ſum redeam, cùm ſex ſeptimanas morati fuiſſemus, ad naves reverſi, vela ventis tradidimus: & jam vix duos aut tres dies in mari fueramus, cùm ecce, navis quædam quam in Inſula S. Dominici ceperamus, tormentis bellicis ac ære multo omnique præda alia onuſta (quapropter eam Strenam anni novi vocabamus) rimis fatiſcere atque aquam admittere cœpit; ita ut etiam tandem à claſſe reliqua aberraret. Quam Generalis noſter, nusquam à ſe poſtridiè viſam, claſſe omni variè eam in rem hîc illic diſperſa, quærere inſtituit: eamque tandem rimis pluribus fatiſcentem, & ſocios navales ſentinando perquàm fatigatos offendit. Iuſsit etiam, eam navim aliam Tallebot nomine, à tergo ſequi, ad recipiendos ſi fortaſsis ſubmergendi periculum adiret, conſervandosq; vectores, & ipſe cum tota claſſe CARTAGENAM rediit. Vnde, poſtquam fractæ iſti navi exonerandę, oneribusq; ac vectoribus in alias naves imponendis octo vel decem dies ibi impendiſſemus, verſus Occidentalem CVBÆ regionis partem CAPO S. ANTONIO dictam tetendimus. eoque v. Kalend. Majas appulimus. Sed inde, inopiâ aquæ recentis, ſolvere ſtatim coacti ſumus, cum bona ſpe MATANCAS uſque, regionem verſus Occidentalem HAVANÆ regionis partem ſitam, vento ſecundo perveniendi. Sed is ubi poſt quatuordecim à diſceſſu iſtinc noſtro dies, adverſus flare cœpit, CAPO S. ANTONIO nos redire coëgit. Vbi tandem aquæ recentis, neceſsitate nimia, rerum magiſtra optima, nos eam diligentiùs quærere cogente, ſed pluviæ dumtaxat & è puteis ſcrobibusque paluſtribus trecentos circiter paſſus à mari hauriendæ, copiam ſatis magnam invenimus. Non hîc tacenda vigilantia ſumma Generalis noſtri, qui hîc ut & antè ubique, exemplo ſuo reliquos incitans, non ſecus quàm unus è minimis, aquę quàm citiſsimè hauriendæ operam omnem adhibuit. Sed & is tanta cum prudentia ac cura, & ſæpè non absque vitæ ſuæ periculo, claſsi ſuæ præfuit, atque quàm optimè diſpoſitæ ubique & ſemper proſpexit: ut etiamſi, ut è ſuis quilibet alius, imperatis dumtaxat tanta cum laude paruiſſet, primo honoris loco meritiſsimò dignus haberetur. Qui etiam felix Vicario tanto Capitaneo Carleil, cuius cõſilia certiſsima inque rebus gerendis

ſolertiam

ſolertiam non niſi felici eventu unquam experiebatur. Laus verò illa utrique communis erat, quòd omni tempore & loco unumquemque, prout merebatur, pœna aut præmio afficerent. III. Idus Majas iterum CAPO S. ANTONIO ſolvimus: & V. Kalend. Iun. juxta CAPO DE LA FLORIDA navigantes, nusquam appulimus: donec, toto illo die eamdem regionem FLORIDAM ſemper à latere habētes, procul, Septemtrionem verſus, ſpeculam quamdam ligneam quatuor malis navalibus ſubnixam, in quam per triginta gradus aſcēdebatur, conſpeximus. Ad quam actuariis navibus noſtris terram ingreſsi, per ripam fluminis aliquandiu inceſsimus; ſi fortaſsis ad quædam loco ab hoſte ibi tenta tandem pervenire poſſemus. non enim hîc quemquam itineris ducem, aut locorum iſtius regionis gnarum habebamus. Generalis noſter Vicarium ſuum primum agmen ducere juſsit. Sic jam vix milliare integrum progreſsi, propugnaculum quoddam nuper ab Hiſpanis extructum ad alteram amnis ripam, indeque milliari altero diſtans oppidum mœnibus nullis munitum, ædificiisq; ligneis temerè conſtructum, in conſpectu habuimus. Hîc tormenta noſtra ad disjiciendum propugnaculum paravimus, unumque ex iis ante veſperam è regione eiusdem collocavimus. Primus globus ab ipſo Vicario Generali in vexillum hoſtium emiſſus fuit, qui id medium transvolavit: quemadmodum è Gallo quodam, qui ab illis ibi aliquandiu in carcere detentus fuerat, pòſt intelleximus. Tormentum deinde alterum in inferiorem propugnaculi partē, quæ è tigno ligneo erat, direximus. Eâdem illâ nocte Vicarius Generalis cum quatuor vexillis militum flumen trajicere, ſuosque ibi loco foſsis undiq; munito, tam vicinos propugnaculo ipſi, ut ad id inde ſclopetarii noſtri facilè pertingere, & quemcumque caput ibi altiùs erigentem percellere poſſent, collocare; item tormenta etiam ſua in hoſtes ſtatim dirigenda eò transvehere decreverat: ſed cùm navales ſocii ad ducendas foſſas præſtò non eſſent; negotium illud omne in proximam noctem delatum fuit. Et mox eôdem illâ nocte Vicarius Generalis comitibus ſex benè armatis, Capitaneis videlicet Morgan, Sampſone, quatuorque aliis, ſchaphâ remis actâ explorare ivit, qualiter hoſtium vigiliæ diſpoſitæ eſſent, & quâ commodiſsimè ulteriùs in regionem illam pergere poſſemus. Quibus, etſi ſeſe quantum poterant tacitè tecteq; per viam gererent, procul viſis, hoſtes ſtatim, putantes noſtram manum omnem jam eò ad ſeſe oppugnandos veniſſe, arma, & mox, tormentis priùs aliquot evacuatis, etiam fugam corripuerunt. Et quidem Vi-

carius Generalis jam ad nos redierat, neſciúsnum propugnaculi ab illis derelicti; donec tibicen quidam Gallus fiſtulâ ſuâ canens, inde à noſtris ad ripam fluminis excubias agentibus venire cernitur. qui ab illis compellatus, priusquam è naviculâ ſuâ exiret, qui ipſemet eſſet, tum quemadmodum Hiſpani propugnaculum ſuum deſeruiſſent, indicavit. Ad cujus rei fidem ſeſe in manus noſtras dabat, & nobiſcum eò redire, ſeſe paratum dicebat. Cui fidem habens Generalis noſter, cum Vicario ſuo aliquotq; Capitaneis aliis actuaria navi, item Vice-admirallius cum duabus tribúsve minutis etiam navibus militũ plenis, juſsis actuariis reliquis ſequi, ſecundo flumine ad propugnaculum contenderunt. E quo, ut propiùs acceſsimus, ab illis qui audaciores reliquis ibi remanſerant, duobus jactibus tormentorum petiti fuimus. Quorum neminem, ut in terram deſcendentes propugnaculum ſtatim intravimus, pòſt ibi offendimus. Muri autem huiusce propugnaculi è malis navalibus trabibusque ligneis aliis, in modum Paliſſadorum (ita hodie genus quoddam loci muniti vocamus) conſtructi: foſſæ verò quæ extra eos, necdum ad finem omninò perductæ erant. quas, ut & propugnaculi eiusdem partes alias, ſpatio quatuor menſium ante noſtrum adventum, perficere non potuerant. Et idcirco id diutiùs tenere, noſtris adventantibus, aut defendere non poterant. quod etiam ideò non temerè ab illis deſertum fuiſſe, exiſtimandum eſt: quia præterquam quòd facilè expugnari, haud difficulter etiam incendi potuiſſet. Tormenta ibi, quatuordecim numero, ſuper aggeres è truncis pineis ſibi invicem ſuperpoſitis, & in modum rotæ connexis, terræ aliquammulto hîc illic interſperſo, collocata erant. Arca etiam adhuc clauſa, in qua pecuniæ Regiæ, de quâ ſtipendia militibus illic numerari conſueverant, duo millia librarum Sterlinarum noſtratium erant, reperta ibi nobis fuit. Propugnaculo igitur Sancti Ioannis (ita id vocabant) ad eum modum occupato, oppidum quoque ipſum adire tentavimus: ad quod usque vicem illam, ob flumen interjacens, pervenire non potuimus. Sed ſtatim viâ aliâ, ad naves noſtras reverſi, ſecundo majori flumine (quod etiam S. AVGVSTINI flumen ab ipſo oppido dicebatur) eôdem rurſus tetendimus. Quò cùm jam perveniremus, ac in terram ire parati eſſemus: inde nobis ſe milites aliquot procul oſtenderunt, qui confeſtim, ſclopis ſuis in nos directis, fugam arripuerunt. Simulque ut in terram deſcendimus, ſtatim Sergantus Major noſter, equum quemdam, quem ibi ephippio frenoque inſtructum reperiebat, inſcendit; ſi fortaſsis quempiam au-

fugientium adſequi aut capere poſſet. Qui ſolus jam, relictis poſt ſe à tergo ſociis ſuis, à quodam in inſidiis poſt carecta latitante, caput medium globo ſclopi trajectus, &, antequam ei quisquam è noſtris ſubvenire poſſet, à tribus ſimul quatuórve illorum certatim gladiis pugionibusque ingeſtis confoſſus fuit: & quidem non parum nobis deploratus cecidit. erat enim vir cumprimis egregius, veteranusque & maximi animi miles. In FANO autem S. AVGVSTINI centum quinquaginta, totidemque in loco altero duodecim inde leucas Septemtrionem verſus diſtante, S. HELENA dicto, ad arcendos inde exteros omnes (ut Anglos Gallósve) ſi fortaſsis etiã loca illa incolere vellent, Rex milites in præſidio habebat. Quibus omnibus præerat Petrus Melendez Marchio, nepos iſtius Admirallii Melendez, qui quindecim ſedecímve annos antè claſſem Ioannis Haukins noſtratis, contrà fidem datam, in portu MEXICO invaſerat. Is igitur utrique præſidio præfectus in oppido, nobis adventantibus erat, primusque etiam id deſerebat. Vbi inter noſtros, conventu Capitaneorum omnium, concluſum fuit, ut inde quamprimùm propugnaculum S. HELENÆ occupare tentaremus: ac mox eiusdem regionis tractum quemdam Anglis noſtris inhabitatum, atque à Regina noſtra virgine LA VIRGINIA dictum, qui inde Aquilonarem partem verſus circiter ſex gradus (ut hodie loquimur) diſtabat, inveſtigaremus. Cùm jam autem à S. HELENA non procul abeſſemus, ob vadoſa illic arenoſaque, ac per id perquã periculoſa, multa loca, cùm præſertim nautam neminem viæ ibi peritum haberemus; evitãdi diſcriminis cauſſa, nusquam appulimus, ſed ulterius porrò perreximus. nam Admirallius noſter præcedenti nocte quatuor leucis à continente maris ibi profunditatem exploraverat, eamque dumtaxat trium ulnarum & dimidiæ eſſe deprehenderat. Et tamen erant qui nobis dicerent, quòd ope naucleri vadorum ibi periti, naves quælibet noſtris oneratæ ac grandes magis, eò facilè appellere poſſent. Itaque mari vadoſo, leucâ unâ atque alterâ à littore perquam depreſſo, oram iſtius regionis, inſulis pluſculis diſtinctæ, aliquamdiu legimus. Et tandem v. Idus Iun. viſo procul ingenti igne, quem in toto illo tractu ubique accendi, moris eſt, Generalis noſter ſcapham ſuam cum ſociis aliquot navalibus ad littus miſit: qui in regione illa aliquot Anglos offenderunt, exque iis unum ad nos ſecum advexerunt, qui nobis viam ad portum indicavit. Quem cùm noſtræ naves intrare non poſſent, anchoras extra eum jecerunt. ubi eas, poſtridie quàm appuleramus, tempeſtas ingens cor-

ripuit; ut pleræque anchoras levare ac vela facere cogerentur: quarum quædam ad reliquam claſſem, aliæ rectà in Angliam redierunt. Hîc Generalis noſter, Capitaneorum omnium, Radulpho Lave Generali Anglorum qui in VIRGINIA, ei & ſuis, de rebus omnibus maximè neceſſariis providere offerebat, navimque majorem unam è ſuis cum actuariâ ibi relinquere, quâ, ſi intra menſem numerus militum, qui dumtaxat id temporis centum & quinque erat, non ſuppleretur, in Angliam redire poſſet. Sed illi adeò inopiâ rerum omnium ibi preſsi ac fracti erant, ut nihil priùs optarent, quàm quamprimùm nobiscum in patriam redire. Itaque mox in naves noſtras recepti, nobiscum inde ſolverunt. Tandemque omnes ſimul viventes & valentes VI. Kalend. Auguſti cIↄ. Iↄ. LXXXVI. Portiſmotham appulimus. DEO ſit gratia, laus, honor, qui feliciter hanc expeditionem noſtram cedere dedit, non ſine Principis noſtræ ac patriæ & noſtrûm omnium honore. Præda omnis noſtra ſexaginta millibus librarum Sterlinarum noſtratium æſtimata fuit: è quibus militibus ſociisque navalibus noſtris viginti millia cedere debuerunt. Ex omni autem numero eorum qui expeditioni huic interfuerunt, circiter ſeptingenti & quinquaginta deſiderati fuerunt. è quibus qui alicuius nominis tã morte violenta, quàm morbo aut aliter perierunt, nomina ſunt iſta: Capitaneus Povvel, Capitaneus Bigges, Capitaneus Varney, Capitaneus Cicel, Capitaneus Moone, Capitaneus Haman, Capitaneus Forteſcue, Capitaneus Greenefield: Vicarius Thomas Teuker, Vicarius Alexander Starke, Vicarius Eſcot, Vicarius Vincentius, Vicarius VVaterhouſe: Nicolaus VVinter, Alexander Carbeill, Robertus Alexander, Scroup, Iacobus Dier, Petrus Duque. aliquotque alii, quorum jam in mentem non venit. Ducenta quadraginta tormenta bellica tum ænea tum ferrea nacti fuimus; & ducenta quidem ænea. in Inſula D. Iacobi quinquaginta duo vel tria; ad Fanum D. Dominici circiter octuaginta, quæ majorem partem majora erant, ut Canones, Semicanones, Colleurinæ, Semicolleurinæ & id genus alia; Cartagenæ ſexaginta duo vel tria, quorum etiam major pars majora erant; in propugnaculo S. Ioannis quatuordecim. Pleraque autem ferrea ex urbe D. Dominici, & Cartagena advecta fuerunt.

F I N I S.

BREVIS

BREVIS ET FIDA

NARRATIO, ET CONTI-nuatio rerum omnium à DRAKO & NORREYSIO (poſt felicem ex Occidentalibus Inſulis, reditum) in ſua expeditione PORTVGALLENSI ſingulis diebus geſtarum.

POSTQVAM ſuperiori anno, Catholici Regis claſſis (expectatione HISPANORVM) invincibilis, ductu Ducis de MEDINA SYDONIA, in mari BRITANNICO partim pugna & incenſis navibus abacta, partim tempeſtatibus & peſte penè obruta & abſumta fuiſſet; erant duo Equites NORREYSIVS & DRAKVS, qui obnixè apud Reginam ANGLIÆ egerant, ut liceret ipſis expeditionem in HISPANIAM facere. Ipſa autem pacis & tranquillitatis amantiſſima, eos admodum invita audivit. Tandem res eſt ad Conſilium & Senatum delata; ibi variis ſententiis certatum; multæ hinc iſtinc quæſtiones agitantur & pericula proponuntur. Equites autem quantum viribus eniti, conſilio providere, authoritate promovere poterant, docent multò quidem eſſe Reipublicę ſalutarius, bellum & belli calamitates in hoſtium agros transferre, & apparatus bellicos, in portubus jam paratos, vel ad novum bellum inferendum denuò parandos, conſumere, devaſtare; quàm domi, apud nos, in viſceribus regni, hoſtes in foro, tanquam angues in ſinu fovere, ubi eventus belli incertus eſſe poterit: multoque fore glorioſius, caſtra Anglica VLYSSIPONIS portis imminere, quàm Anglum vel vallum hoſtium ex mœnibus ſuis videre, vel externos milites muros ſcandentes propellere; Exemplo SCIPIONIS, qui poſt multo-

rum annorum bellum, ingentes acceptas clades, evictos exercitus, præſertim apud THRASYMENVM & CANNAS in AFRICAM cum exercitu trajecit, ut HANNIBALEM è Romanorum finibus evocaret. Optimum conſilium, optimus exitus eſt conſequutus. At aliquot viri egregii optimè de Repub. meriti, mirum in modum ſumma contentione, iſtam profectionem oppugnant, (gloriam fortaſſis aliquam navalem, ſibi præreptum iri videntes) non tam, ut ingenuè fatear, invidia quàm æmulatione moti, Regiam claſſem periclitatum, diſſidia inter Equites excitum, & publicum inde fiſcum exhauſtum iri contendunt. Hoc ultimum argumentum maximè potens fuit, expeditionemque penè peſſumdedit. Equites nihilo ſeciùs, cùm viderent hoc potiſſimùm fundamento argumenta eorum niti, publicæ utilitati magis quàm privato commodo ſervientes, ad cogendas copias, inſtruendam claſſem, omnem deniq; impenſam: ex publico ſolùm 83333 coronatos ſibi dari poſtulant, ita ut ſi quid ultrà expenderetur, id de ſuo aut ſuis facerent. Interim dum ita ambiguis contentionibus de die in diem dilatis, variè eſſet diſceptatum, tempus elabitur, multi à profectione deficiunt, plurimi ſortem quam promiſerant, negãt, militum conſcribendorum ſumptus augeſcit, omnium penè virtus, quam in hac expeditione conceperant deferveſcit; & quod maximè obfuit, ingentes præter ſpem, hac dilatione Equites impenſas faciunt; adeo ut quidquid ex ſuo cõficere, aut ex ſuis elicere, quod vel oppignorarent, vel venderent, idipſum efficere cogerentur: Inſuper quingenti Equites auxiliarii quos Ordines Belgiæ NORREYSIO in auxilium decreverant, quamvis eoſdem ipſe ſuo ſumptu ex Hollandia transvexerat, in alios uſus detinentur. Tandem tamen cùm de expeditione conveniſſet, altera enata eſt quæſtio; an expediret magis in Hiſpaniam, aut Luſitaniam, aut Indias trajicere? Aderat tũ fortè Rex ANTONIVS, quem Hiſpanus regno Portugalliæ expulerat, & avitis ſedibus ejecerat; docet nobilitatem, plebem, Luſitanos omnes, reducem Regem repetere, eoſque ſibi pecunia, armis, commeatu, opem laturos, nihilq; ipſis defuturum pollicetur; ſeque, nihil aliud ab eis petere, quàm ut in patrium ſolum ipſum exponerent. Res diu multumque agitata eſt. Tandem omnes commiſeratione Regis exulis, avito regno, patriiſque laribus deturbati, facilè in ipſius ſentẽtiam ſunt adducti. æquum enim erat erat credere, Luſitanos externum jugum facilè exhorruiſſe, nativum regem & antiquam libertatem repetiiſſe. Inſuper, ſperantes ubi Hiſpanum Luſitano bello implicaſſent ſe minori negotio, vel Hiſpa-

niam

niam vel Indias, quæ ſub eius ditione eſſent, occupaturos. Quid multa? Vndique eſt ad bellum acclamatum; poſtulata pecunia, eſt ex publico decreta, militum numeri complentur, claſſis omnis apparatur, arma capere, & copias cogere cœperunt: ſunt autem NORREYSIVS & DRAKVS exercitus & claſſis deſignati Conſules & Collegæ, intercedente regia authoritate, qui quatuordecim conſtabat Legionibus, quarum aliæ decem, aliæ octo cohortes habuerunt: ita tamen, ut maxima legio mille milites non exceſſerit, aliæ non ultra quingentos, quibus ſinguli ſinguli tribuni præficiuntur, inter quos præter ſupremos Conſules, GVALTERVS DEVEREVX eximiæ ſpei adoleſcens, unicus comitis ESSEXIÆ frater, erat etiam Magiſter equitum: ROGERVS GVLIHELMIVS eques, peditumque præfectus: duo NORREYSII fratres, EDOVARDVS & HENRICVS equites, quorum ille tormentis bellicis & munitionibus præfuit, IACOBVS HAYLSVS Eques & Quæſtor, THOMAS SYDNEIVS (PHILIPPI juxta ZVTPHANIAM incredibili omnium dolore interfecti frater) EDOVARDVS VVINGFELDIVS Eques, LANVS delectuum habendorum cenſor, VMPTONVS, BRETTVS, HVNTLEIVS, & MEDKERKVS HOLLANDVS. Exercitu ita inſtructo, & unaquaq; Legione in Cohortes diviſa, ſingulis cohortibus etiam ſinguli Centuriones ſunt aſſignati, quorum numerum nominatim referre, nimis eſſet operoſum. Rebus ita conſtitutis, NORREYSIVS & DRAKVS Doverum confeſtim contendunt, ubi eodem tempore ſexaginta naves Hollandicæ onerariæ bene inſtructæ ad Rupellam ſalis emundi gratia (ut dicebant) profecturæ, inexpectatò appulerant, quarum opera ad milites Plimotham transportandos opportunè utebantur. Conſules navem conſcendunt, unaque Rex ANTONIVS, EMANVEL PORTVGALLIÆ Princeps, Botelius, Dominus de Brug Baro Hibernicus, CROMVVELLIVS, VVARBARTONVS, & alii nobiles plurimi, ſublatis anchoris, expanſis velis flante Aquilone, poſt triduum Plimotham appulerunt. Ibi ſtatim convocatis tribunis & centurionibus, ſingulis ſingulas naves conſignant, commeatum diſtribuunt, & milites in terram exponunt: tempus idoneum rati, flante nimirum Africo, perluſtrandi exercitum, inſtruendi tyrones, reficiendi omnes; exercitus in acies dividitur, ſuis unaquæque ſe continebat ſtationibus; ubi caſtra metati eſſent, Tyrones milites qui tum primùm merere ſtipendia cœperant; docentur cum hoſte congredi, receptui canere, per turmas hinc inde crebrò concurrere, decurrere, de integro inire bellum,

15. Mart.

18. Mart.

locum

locum tenere, imperium facere, juſſa exequi, ſeque in orbem colligere, cuneum facere & phalangem, ſequi ſigna, ne ſine imperio in hoſtes tenderent, ne pulſi loco cederent, & ut in acie quisque agnoſceret ordines ſuos. Militibus ita aliquot dies exercitatis, vento ſemper adverſo
21. Mart. ſo ſpirante; Conſules militibus claſſico convocatis, proclamari & edîci jubent, ne quis (capitis pœna) peregrinum militem, vel ignominia vel injuria afficeret, néve miles quispiam exauctoretur, aut à ſignis abeſſet, niſi ipſi miſſionem illis darent; néve transitionem ad alia ſigna facerent, equites undequaq; diſponuntur, qui emanſores, & deſertores prehenderent. Dum Conſules Plimothæ adverſis ventis coacti plusquàm integrum menſem hærerent, commeatus abſumitur, plurimi milites diſcedunt, alii ægrotant; hoſtibus copia cogendi exercitus conſcribendi, & præſidia locis maritimis conferendi magna datur
31. Mart. opportunitas. Interim, conventus habetur procerum Devoniæ &
1. Aprilis. Cornubiæ de re frumentaria ſubminiſtranda. Qua in re Ashleivs regii conſilii Secretarius, ſuo adventu egregiè operam navit: totumq;
4. Aprilis id negotium, ubi de pretio & cæteris convenerat Darellio datum eſt. His rebus ita transactis quandoque Boreas, quandoque Circivs ſpirare cœpit, & Fennervs prothalaſſiarcha ſe cum viginti navibus adjunxit. Non multò pòſt Eſſexiæ Comes, Martis proles, heroicis & bellicoſis ortus parentibus, juvenis magni & præclari animi, populo, nobilibus, Reginæ acceptiſsimus, omnia potiùs ferre decreverat, & pericula ſubire; quàm ut tam illuſtri expeditioni non intereſſet, maluit omninò privatus ſine imperio actor adeſſe, quàm domi, in ſumma apud omnes gratia, aulicorum grege ſtipatus manere: citatiſsimis quantum poterat equis, ad exercitum ſeſe ab aula (nemine conſcio(proripuit; & ne fortè regia interveniente authoritàte detineretur, Falmothæ juxta Plimotham Rogeri Gvlielmii & Gvalteri fratris navem conſcendit, anchorisq; ſublatis, ſe continuò inde proripit, incertis ventis, aſſiduisque procellis variè agitatus. Poſt
6. Aprilis aliquot dies ventus felicior ſpirare cœpit, Conſules ſumma feſtinatione pœna capitis claſſico omnibus edixerunt naves conſcendere, easque è portu educere, velisque paſſis (flante Africo) in altum prove-
18. April. huntur. Claſſis autem conſtabat ſex navibus onerariis regiis, viginti bellicis, & centum & quadraginta bene inſtructis; Conſulesque ipſi Thalaſſiarchæ Thomas & Gviliel. Fenneri, hic Prothalaſſiarcha, ille Metathalaſsiarcha; Tribuni navalium cohortium ipſi Conſules, Thomas Fennervs, Rogervs Gvilielmvs &

Edovardvs

EDOVARDVS NOREYCIVS fuerunt; Vigiliarum pręfectus BOYERVS fuit, & DARELLIVS rem agebat frumentariam. Rebus omnibus ita conſtitutis, vix erat credibile quanta alacritate ab omnibus, HISPANIA, HISPANIA, acclamatum ſit. Poſt alterum diem ſub 20. April.
noctem ex alto Axantam conſpicimus; inde poſtridie (flante Coro) 21. April.
relicta Axanta, Hiſpaniam verſus rectà perreximus: ſequente die, 22. April.
flante Vulturno eodemque procelloſo, (impediente vento verſus Orientem tendere) CORONAM verſus impellimur. Nono Kal. Maii, 23. April.
poſt tertiam pomeridianam, ex alto promontorium Ortingallæ in Galicia conſpeximus, & non ultra duodecim millia paſſuum à terra abfuimus: ſtatim concilio habito, ibi totam noctem laxis velis hærere decrevimus. Prima luce CORONAM perreximus, vento admodum remiſſo, & poſt meridiem in portus parte orientali in anchoris ſtetimus, ubi Hiſpani plurimos irritos ictus ab oppido & arce CORONÆ, ſuis tormentis bellicis ejaculati ſunt. Ad octo millia militum in terram (nullo reſiſtente) exponimus, quibus ſingulis ſuæ ſtationes deſignantur. Continuò oppidi præſidiarii lecta militum manu, nos levibus præliis excipiunt: Naves aliquot hoſtium in portu juxta propugnaculum ſteterant; inter reliquas, navis ingens quam Galeonam vocant, (fuitque navis proprætoria) eiq; præfuit MARTINVS DE RICALDO, protoclaſſiarcha regius in expeditione Anglica; duæ etiam naves bellicæ, & alterę duę onerarię magnæ, apparatu bellico & commeatu onuſtæ, cum duabus triremibus, quæ hinc inde propter malaciam remigantes, negotium nobis faceſſere nitebantur, & acceſſum ad oppidum prohibere. Poſtridie manè, tormenta duo in declivi montis ex oppoſito urbi, multo negotio (ex oppido, arce, propugnaculo, Galeona, & triremibus in nos tormentis effulminantibus) antè meridiem collocamus. Triremes illico unicum ictum non ferentes abiguntur; Galeona à nobis ſæpiùs perforatur, nec tamen in nos irruere deſtitit; Hoſtis nonnunquam levibus præliis (excurſione ex oppido facta) nos 25. April.
adoritur, & illico receptui canit. NORREYSIVS autem rei militaris gnarus, feſtinandum ratus, ad oppidum occupandum animum adjecit. CORONA in duo oppida diviſa, ſuis quodque diſtinctum mœnibus; alterum in declivi montis, quod ſuperius vocabatur, undique mœnibus cinctum; alterum in plano ſitum, quod mare utrinque veluti peninſulam alluebat, ex unica parte ſuperiori continens, unis mœnibus munitum, inferius eſt dictum. Oppidum autem inferius, tribus ex partibus oppugnare decrevit, primò mari, tum ad duo mœ-

nium propugnacula; quorum alterum orientalem, alterum occidentalem cœli partem ſpectabat. FENNERO & HVNTLEIO ea data eſt provincia, ut cum mille quingentis ſelectis militibus, lintribus & naviculis impoſitis, navali pugnæ præeſſent; BRETTVS autem & VMPTONVS cum trecentis orientalem, RICHARDVS WINGFELDIVS & SAMPSONVS cum quingentis occidentalem partem ſcalis adorirentur. Quibus rebus ita ordinatis, commeatu & pulvere datis,
26. April. noctu milites ſcaphas mira ſedulitate conſcendunt. Prima luce milite cohortato, ſignoque dato, omnes ſumma contentione quis prior oppidum occuparet, arreptis armis ad mœnia advolant. Præſidiarii ex propugnaculo & navibus, claſſico dato, WINGFELDIVM & SAMPSONVM venientes, alacriter excipiunt, loco pellunt, iterumq, mœnia ſcalis conſcendentes dejiciunt. Dum iſti hoſtium impetum ſuſtinent, FENNERVS & HVNTLEIVS lintribus junctis, à mari impigrè urbem occupant; BRETTVS & VMPTONVS orientalem muri partem transcendunt. adeo ut poſt ſequihoram præſidiariis & civibus ad oppidum ſuperius fugatis, inferius in noſtram poteſtatem venerit. In pugna ex noſtris vix viginti milites deſiderati, COOPERVS Centurio læditur. Ante horam quintam oppidum militi præda datum: Hoſtes Galionem nobis invidentes, tormentis, pulvere & globulis repletam incendunt, reliquæ naves noſtræ fiunt. Ante decimam, totus exercitus in oppidum introducitur, hoſpitia ſingulis per Metatorem deſignantur. Ingens frumenti vis, carniſque ſalitæ copia, tormentorum æneorum omnis generis, centum quinquaginta, reſtium, funiumque nauticorum, pulveris, aliorumque belli apparatuum incredibile dictu, quàm ingẽs quantitas ſit inventa. Hoſtis ipſe ex ſuperiori oppido ædificia aliquot capaciſſima, ſuis mœnibus contigua, rebus, uſibus belli ſervientibus, repleta, ſuperinjecto igne incendit. Interim hoſtium mille quingenti, ex declivi montis non longè ab oppido ſe præcipites dejiciunt, oppidumque verſus pervolant; nihil minùs putantes id à noſtris occupatum fuiſſe. NORREYSIVS cum ſex cohortibus venientes excipit, in fugam vertit, fugientesque ad duo millia paſſuum perſequitur, eodemque die IACOBVS HAYL-
27. April. SVS Quæſtor, à ſclopetario ab oppido ſuperiori læditur. Poſtridie ejus diei, incuriâ quorundam militum una domus accenſa, centum ſibi cõtiguas eodem incendio involuit, antequàm reſtingui ignis poterat.
28. April. Conſules interim officio non defuerunt, loca opportuna ponendis tormentis luſtraverunt, aggeres, munimentaque pro eisdem defen-

dendis

dendis fieri curaverunt. Hoſtis ex oppido Conſules per tympanum rogat, an IOANNES DE LVNA nobilis Hiſpanus, in ipſorum veniſſet poteſtatem? Reſponſum eſt, ipſum captivum eſſe; deinde de dedendo oppido eſt cum eo actum, quod planè & confidenter eſt negatum. Proinde oppidum oppugnaturi Conſules, legiones ſingulas ſuis ſtationibus diſponunt. NORREYSII Vicarius, DEVOREVX, SYDNEIVS, BRETTVS, cum ſuis legionibus inter monaſterium Sancti Dominici, & mare; DRAKI Vicarius, ROGERVS, GVLIHELMIVS, HVNTLEIVS, VVINGFELDIVS, cum ſuis copiis, juxta Eccleſiam parvam; EDOVARDVS NORREYSIVS, LANVS & MEDKERKVS, ad ripam maris conſidebant, aggeribus, munimentiſque actis, tormenta locantur, ſimulque cuniculos agere incipiunt. HVNTLEIVS uti juſſus erat, frumentatum & exploratum excurrens, hoſti obviam fit, qui ſtatim in fugam vertitur, aliquot trucidatis & captis, ducentorum jumentorum abacta præda. Rebus jam omnibus ad obſidionem diſpoſitis, cum quatuor tormentis ab aquilonari oppidi parte locatis, poſt meridiem mœnia verberare cœperunt; quorum concuſſione, aggeres ſtatim corruunt, tormentarii nudi & immuniti hoſti exponuntur. Ibi SPENCERVS Vicarius EDOVARDI NORREYSII, qui tormentis bellicis præfuit, ad ipſius pedes interfectus, collabitur. GOODVVINVS centurio per fauces globulo eſt trajectus, dum mœnia conſcendere tentaret. Illud tamen meminiſſe oportet, NORREYSIVM priùs cum hoſte per tubicinem de deditione egiſſe, in eumque hoſtium aliquem contra jus belli globulum miſiſſe. Statim poſt intermiſſam obſidionem, IOANNES DE PACHECO MARCHIO DE CERRALBO, GALICIÆ præfectus, qui tum in oppido erat, militem pro mœnibus ſuſpendit. NORREYSIVS MARCHIONEM rogat, an captivum Anglum per ludibrium & contemtum ſuſpenſum exponeret? Ad quem MARCHIO perbenignè reſpondet, ſupplicium ſumtum de milite fuiſſe, qui contra tubicinem eſſet ejaculatus: quod ita eſſe, facilè apparuit ex inſcriptione collo appenſa, deque juſto, bonoq; bello inter eos transactum. cum de permutatione octoginta captivorum Hiſpanorum. cum totidem Anglis in triremibus eſſet cum eo actum, reſpondet ea de re, ſe nihil à rege in mandatis habere. Poſtridie manè SAMPSONVS cum quingentis ſelectis militibus, excurſiones in hoſtium agros facit; levi prælio cum mille peditum, & aliquot equitibus congreſſus, in fugam vertit, centum quinquaginta jumentorum abacta præda. Eodemque die tormentariorum opera irrita fa-

29. April. *30. April.* *1. Maij.* *2. Maij.* *3. Maij.*

ʃta eſt, aggeribus accenſis, quibus impigrè refectis de integro eſt renovata, ita tamẽ ut perexigua fieret mœnium ruina: ignis etiam cuniculo ſubditus cis murũ erupit, nullo hoſtibus incommodo. Rebus ita ſuccedentibus, conſilio habito, ſtatuerunt Conſules obſidione relicta, tormenta, commeatum, totumq; belli apparatum ad naves reducere. Interim, quidã milites à Conſulibus conducti, ruinas ſpeculatũ emiſſi,
4. Maij. referunt, de potiundo oppido nõ eſſe deſperandũ. Quamobrem, multa nocte de integro cuniculos agere, & prima luce tormentis mœnia reverberare cœperunt. ſub quintam pomeridianam ruina ſatis ampla & ignis cuniculo ſubditus, integram turrẽ labefecit & evertit. ANTONIO VVINGFELDIO & SAMPSONO ad cuniculũ, RICHARDO VVINGFELDIO & PHILPOTO ad mœnium ruinam ire juſſis, teſſera data, magno clamore, ſumma alacritate, ad oppidum pervolant. DELPHINVS centurio impigrè primus in ruina ſteterat, ecce ſubitò, magna & ampla mœnium pars ex inopinato corruit, ad viginti milites obruit & ſauciat: inter cæteros, SYDENHAMVS centurio occubuit; hinc re infecta quisq; ſe ad ſuas ſtationes recipit. Huic tam inexpectato caſui, oppidum proculdubiò ſuam ſalutem & conſervationem acceptam penitus referre debet: ex noſtris ad ſexaginta ſunt deſiderati, & totidem læſi. NORREYSIO his modis diſtento DRAKVS non conquievit, omni ope & opera in eo incumbens, ut commeatum (quem CORONA inferior ſatis copioſe &
5. Maij. opportunè ſuppeditabat) ad naves deferret. Conſules autẽ quod ante conſtituerant, optimum fore rati, naves repetere, nõ oppidum ſed regnum animo deſtinantes: quidam milites frumentatum excurrentes, militem Hiſpanum ſecum ducunt; qui refert, COMITES DANDRADA, & DE ALTAMIRA non procul abeſſe cum exercitu, prope pagum qui BORGHOS vocabatur: eosq; expectare quædam tormenta bellica, quibus nos in oppido obſiderent, aut ſaltem conſcenſum in naves impedirent. NORREYSIVS cum tam vicino hoſte congredi non refugit, vincere aut vinci alterutrum quandoque glorioſum, fugam fugæve ſpeciem, turpem ſuaq; virtute indignam ratus, inſtructo agmine illico in hoſtem fertur. Primam aciem EDOVARDVS ipſius frater cum tribus legionibus, ſuâ, ROGERI GVLIELMI, & SYDNEI: mediam ipſe ducebat cum totidem legionibus, ſuâ nimirum, LANI & MEDKERKI: tertiam alter eius frater HENRICVS, cum ſuâ, HVNTLEI & BRETTI legionibus: reliquas quinq; legiones ut præſidio oppido & claſſi eſſent, DRAKVS retinuit. Copiis ita inſtructis eas illico in hoſtẽ ducit, ſub meridiem nõ
6. Maij. procul à ponte BORGHENSI: nonnulli hoſtium ex inſidiis prodeunt,

qui

qui à Sclopetariis primæ aciei (quibus ANTONIVS VVINGFELDIVS præerat) profligati, ad caſtra refugiunt. Erat inter utrumq; exercitum, flumen amplum ſatis & profundum; ſuper illud pons lapideus, longitudine circiter octoginta paſſuum, latitudine trium. In hoſtium exercitu, erant ultra decem hominum millia; in noſtro vix quinq; millia & quingenti numerabantur. Hoſtes intra munimenta ſua ſe cõtinebant, pontis partem citeriorem foſſis, vallis, aggeribus muniebant, quibus tranſitum noſtrum præpedirent. NORREYSIVS cui & animus & manus geſtiebant cum hoſte congredi, EDOVARDO fratri (qui primæ aciei præfuit) pontem tranſgredi imperat. Ipſe animo intrepidus, quod in mandatis acceperat, ſponte & alacriter exequitur; & cum eo FVLFORDVS & HINDERVS, duo præſtantiſſimi Centuriones, inſtar manipularium, plures enim uno ordine propter põtis anguſtias, progredi non poterant; reliqui ternatim manipulares ſubſequuntur. Vbi ad medium pontis eſt ventum, ultra tria millia ſclopetariorum eos in fonte venientes excipiunt; cœlum ipſum fragore intonuit, & globuli inſtar grandinis undique decidunt: illi nihilominus vitam tanquã victimam patriæ oblaturi, & Anglici nominis gloriam apud omnes gentes hoc inſigni ſtrategemate divulgaturi, nulla cunctatione ſumma alacritate procedunt. Vbi ad manus eſt ventum, illico ab hoſte eſt trepidatũ, & qui longiſſimè à noſtris aberant, priores aufugiunt; qui proximè ſteterant, pugnare inviti coguntur, ne ipſos à tergo fugientes haſtis noſtri perfoderent: ipſorum autem fugam quos extruxerant aggeres & munimenta retardant, unica enim patebat exeundi via, multi præcipites exiliunt, eoq; acriùs cum iis qui in prima acie ſteterant, eſt pugnatum. Ibi EDOVARDVS NORREYSIVS dum Hiſpanum avidè perſequitur, labente pede in terram cadit, galeamq; amittit. hoſtis impigrè in ipſum irruit, in capite vulnerat, penitusque interfeciſſet, ni opportunè Dux NORREYSIVS eius frater qui proximus ſteterat ipſi ſubveniſſet; FVLFORDVS, HINDERVS, & BARTONVS cominus egregiè cum hoſte pugnantes graviter læduntur. Operæprecium fuiſſet videre, quãta trepidatione hoſtes terga darent, & quàm avidè noſtri fugientes perſequerentur, campos armis ſtratos, montes fugientium catervatim turmis tectos, alios fluminibus innatãtes, aut ſubmerſos, alios paludibus collo tenus prominentes; alios in luto limoq; hærentes, alios per triticum ſæpesq; obrepentes. Quid multa? eorum ultra ſeptingenti cæſi, ex noſtris duo tantùm milites COOPERVS Centurio, & Hibernus quidam nobilis. Quinetiam MEDKERKVS tribunus Hollandus dum ad caſtra

revertitur; ducentos milites qui in Monaſterio delituerant, interficit. Hoſtis regium vexillum, caſtra, omniaq; impedimenta, argētea vaſa & ſupellectilem, veſtitum, arma, & commeatum amiſit; quæ omnia præda militibus data ſunt: qui obviis quibusq; vicis ac ædificiis incenſis, eadem nocte ad caſtra redeunt. Illud autē meminiſſe oportet, primam tantummodò aciem cum Hiſpanis manus conſeruiſſe, mediam & tertiam, propter pontis anguſtias, in pugna adeſſe, hoſtemq; perſequi nō potuiſſe: ita ut parva Anglorū manus, ingentem multitudinem Hiſpa-

7. Maij. norū fugā magis quàm gloriā meditātium fuderit, & vicerit. Poſtridie eius diei, tormenta, omniaq; impedimenta, (ſaucii præſertim & ægroti) ad naves ſumma cura comportantur, omnesq; naves conſcendunt, oppidumq; inferius CORONÆ totum & funditus eſt crematum. Dum exercitus anchoris nititur, Conſules conventu tribunorum habito, quam in partem deinceps tenderent, deliberandum ſtatuunt; variis ſententiis certatum, alii Luſitaniam, alii Biſcaiam petendam, ſuis quisque allatis rationibus, contendunt. Re autem ad navarchas delata, eorumq; ſententia expetita, ipſi expeditionē in Biſcaiam, & Guepuſcam vehementer oppugnant. Tandem de Luſitania tentanda convenit,

9. Maij. ſublatisq; anchoris, vela ventis dantur. GVLIELMVS KNOLSVS Eques,

10. Maij. & DARCEVS Angliam repetunt. Priusquàm Cyzargam venimus, ſex

11. Maij. noſtrarum navium quæ ventis abreptæ aberant, nobis occurrunt; de

12. Maij. Cyzarga Mongiam venimus; inde, ad promōtorium Celticum, quod hodie finem terræ vocant: poſtridie obvius nobis fit Comes ESSEXIÆ

13. Maij. cum PHILIPPO BVTLERO Equite, qui tanquam fidus aliquis ACHATES, & periculorum conſors, nunquam ab eo aberat; ſecumq; tres naves re frumētaria onuſtas, quas ab hoſte ceperat, ducit. Summo omnium applauſu, & letitia excipitur; eſt enim, propter virtutes animi, corporisq; dotes, generis & familiæ nobilitatem, morum facilitatem, & in re militari ſcientiam & induſtriam, nobilis, omnibus longè gratiſſimus. Ipſe autem ex quo Falmotha ſolviſſet, unà cum ROGERO GVLIHELMIO & BVTLERO, hoc primùm die ſe claſſi noſtræ junxit. In Auſtralem enim partem, inter rupem ut vocant, & promontorium S. Vincentii curſum dirigens, Bayonæ appulit: ubi militibus in terram expoſitis, excurſiones facit, hoſtes in fugam vertit, mox ſe in naves recipit. Non multò pòſt, quas ſecum perduxit naves, conſpicit, aggreditur, vincit. Sub ad-

14. Maij. ventum ipſius, ventus alacrior multo, ſecundiorque ſpirabat Circius, adeo ut laxis remiſſisque velis, onerarias naves, quę non tam expeditæ

15. Maij. & celeres eſſent, præſtolari cogeremur. Vbi non longe à Berlinga abſumus,

ſumus,conſilio habito,Conſules decernunt Penicham appellere. Po- *16. Maij.*
ſtridie prima luce, Berlingam ab alto conſpeximus: flante Aquilone, ante tertiam pomeridianam,in portu propè Penicham in anchoris ſtamus. Ibi arcem juxta pagum munitiſſimam cernimus: Illico SAMPSONVS cum quingentis militibus,ex oppoſito arcis,juxta præruptam rupem in parte Auſtrali deſcendere jubetur.Conſules ipſi cum lecta militum manu,in loco arenoſo;junctis ratibus & lintribus, ad mille paſſus ab arce,ſeſe in terram exponere ſtatuunt.Mare autem undoſum & valde turgidũ, naviculas prope littus accedere prohibet:hoſtis in ripa conſtitit,deſcenſum prohibiturus. ESSEXIÆ Comes, vir magno & excelſo animo,ubi hoſtes vibrare haſtas,enſes concutere,nobis minitari videret; arreptis armis, impatiens moræ, primus ſe in mare projicit, pectore tenus immerſus,nõ ſine ſummo vitæ diſcrimine, nam ſimul & de navibus deſiliendum,& in fluctibus conſiſtendum,& cum hoſtibus erat pugnandũ; multi nobiles & centuriones,inter quos BVTLERVS & BASKERVILLIVS equites,IACSONVS & PVIVS Comitem ſequuntur,cum hoſte cominus congrediuntur: acriter primò eſt pugnatum, hoſtis illico pedem retulit. Comes cum paucis(reliquum exercitum non expectans)eos longè perſequitur. PVIVS Centurio interficitur.SAMPSONVS, dum ESSEXIVS pugnam ſuſtinet,deſcenſu minimè prohibetur.
Arx ipſa munitiſſima,& inexpugnabilis,re frumentaria,apparatu bel- *17. Maij.*
lico,tormentis & præſidio inſtructa Regi ANTONIO deditionem facit.Conſules,claſſico dato,militibus pœna capitis edicũt, ne quis Luſitanum quempiam verbis offendat, contumeliâ afficiat,injuriâ laceſſat,bonis ſpoliet, ædificia incendat,agros populetur,aut quicquam in eos hoſtiliter agat:maximè, ne templa, monaſteria,aut loca cultui divino dicata quovis modo profanet. Accurrunt aliquot monachi, & multitudo quædam inermis Regi ANTONIO; ex nobilitate nullus,traditis enim armis,obſidibusq; datis,& in Hiſpaniam miſſis,de ANTONII partibus ſeſe profiteri non ſunt auſi.Conſules,convocatis Comite ESSEXIO, & tribunis, conſilium ineunt, quid deinceps faciendum commodiſſimè videretur;tandem omnium ſententiis & ſuffragiis in eo cõvenit, ut NORREYSIVS cum exercitu Vlyſſiponem pergat; quæ ad quadraginta octo millia paſſuum à Penicha abeſt;DRAKVS cum claſſe, apparatu bellico,re frumentaria & impedimentis, eò verſus veniat,& apud Caſcalim cõſideat,ut exploraret an ibi ulli eſſent,qui à regis ANTONII partibus ſtarent,ut ad omnem eventum exercitui ſubſidio eſſet, ut commeatum omniaque auxilia ab Vlyſſipone præcluderet: Datis

dexteris NORREYSIVS exercitum, DRAKVS claſſem inſtruit: cenſuq; militum habito, non ultra ſex millia caſtris idonei conſcribuntur,
18. Maij. idoneo claſſi relicto præſidio. Nihilo ſeciùs NORREYSIVS uti cõſtituerat, cohortibus ſex præſidio claſſi relictis, & Bartono in arce Penichæ; caſtra movet, triplici acie inſtructa: Primam ipſe ducit, quæ conſtabat legionibus quinq;, ſua, ROGERI GVLIELMII, HENRICI NORREYSII, LANI & MEDKERKI. Media, quatuor habet legiones DRAKI, DEVOREVXI, EDOVARDI NORREYSII, & SYDNEI. Tertia quinque, HAYLSI, VVINGFELDII, VMPTONI, BRETTI & HVNTLEI. DARELLIVS ſingulis militibus commeatum in triduum dare juſſus, tantumq; cuiq; pulveris, quãtum quisq; ſecum commodè ferre poterat. Nam neq; equos, neq; carros, aut rhedas, quibus ſecum ſarcinas aut impedimẽta ferrent, habuerunt. Rebus ſic conſtitutis NORREYSIVS caſtra movet cum Rege ANTONIO, EMANVELE principe & Comite ESSEXIÆ, qui quotidie in prima acie ſtetit: & in vico, LORYGNA nomine, caſtra poſuit. Inde ſingulis diebus mutatis agminibus ad pagum qui Torres Vedras vocatur, perrexit: ubi arx erat in prærupto collis munitiſſima; equites aliquot hoſtium conſpiciuntur, ſed repentè (tanquam conſpectu noſtro
19. Maij. conterriti) pedem referunt. Manè NORREYSIVS ab exploratoribus cognoſcit, equites quinquaginta hoſtium nõ longè à caſtris abeſſe; ut ſi quos frumentatum palantes inveniant, ab exercitu præcluſos capiant.
20. Maij. Hos YORKVS cũ equitatu & aliquot peditibus miſſus, mox in fugam conjicit, eoq; die Luſitani villici commeatum ſatis liberaliter (fugatis Hiſpanis) nobis adferunt: & in duobus vicis, ejuſdẽ nominis, Anchara dictis & Fano Sebaſtiani, caſtra metamur. Hîc ad nos nova adferuntur,
21. Maij. claſſem noſtram prope Caſcalim appuliſſe. Poſtridie ad vicũ qui Lores vocatur cõtendimus, ubi hoſtẽ cum trecentis equitibus in planitie nõ ultra mille paſſus à noſtris copiis abeſſe videm⁹. Contra quos HENRICVS NORREYSIVS uti juſſus erat, cũ ſua legione, & YORKVS cũ equitatu proceſſit. Illi autem præcipites in fugam verſi, adventũ eius minimè ſuſtinent: Quamvis viarũ anguſtiæ, lociq; opportunitas, eos facilè ad pugnam alliceret. Eodem etiam die ad NORREYSIVM à DRAKO literæ perferuntur; quibus ſignificat, ſe cũ claſſe veniſſe, & mille quingentos milites in terrã expoſuiſſe: cui ille viciſsim reſcribit, monetq; diligẽter excubias agat, militem in armis habeat, hoſtem enim cum exercitu in
22. Maij. ſuburbijs Vlyſsiponis conſidere. Ea nocte hoſtis in DRAKI & VMPTONI legiones impetum facit; eorum tamen plurimi interfecti, noſtrorũ vix octo deſiderati. Sequenti die, de Lores ad Alveladam iter inſtituimus;

NOR-

Norreysivs Rogervm Gvlihelmivm cum lecta militum manu prę-mittit,ut hoſtē ex inſidiis opprimat;ſępè hoſtium equitatū ex collibus 23. Maij.
vicinis cernimus, nunquā tamen prælium cōmittere audebat. Rogervs Gvlihelmivs poſtero die ex inſidiis reverſus,hoſtē nullū videt;omnes enim intra mœnia Vlyſſiponis ſe cōtinebant. Tamē ab exploratoribus & captivis cognovimus,Cardinalē Auſtriacū Portugallię proregē ſæpiùs oppido exiiſſe, proviſum locū idoneum caſtris ponendis, metatumq; ſtationū ambitū,hac arte & cōſilio nempe, civibus ut perſuaderet, præſertim ſuboppidanis,quorum bona,fortunæq; omnes in multo verſabātur diſcrimine (expoſita enim patebant noſtrorū militū ſpoliis,muris & portis deſtituta) ſe nobiscū prælium cōmiſſurū,nosq; ab urbe propulſurū. Nos autē (nullo reſiſtente,nedū in conſpectū venire audente,) educto manè caſtris milite,Vlyſſiponem contendimus: Primū agmen Alcantram ingreditur, reliqua duo totam noctē agunt in armis. Hoſtis ex oppido nullas eruptiones facit, nihil hoſtile agit; quatuor ſolū tormentis Gabriel de Ninnos arcis Vlyſſiponis præfectus adventū noſtrū cōſalutavit. Poſtridie ejus diei,totus exercitus in 24. Maij.
oppidi ſuburbiis quæ Bona vista vocantur per ſtationes eſt diviſus. Hiſpanus enim ſe in urbē & arcē recōdiderat; juxta meridiem equites aliquot ſelecti oppido exiliunt, vociferantes, vivat Rex Antonivs; in ſtationem Bretti tribuni irrunt,aliquot vigilū interficiuntur. Noſtri,repentè claſſico dato,& arreptis armis,eos alacriter excipiūt, plurimos interficiunt, aliquos capiunt, Essexiæ Comes eos ad Vlyſsiponis portas uſq; perſequitur,vixq; retrahitur ne in eas irruat;irruiſſetq; proculdubiò,niſi ipſum Rogervs Gvlihelmivs invitum retinuiſſet. Brettvs cū hoſte ferociter cominus haſta pugnās,ictus à ſclopetario; & Carrvs cēturio occubuit:ex gregariis nō ultra ſex. In Bona vista, opima ſpolia victoribus,ſi fortuna ſua fuiſſent uſi,ſunt expoſita: piperis,cinnamomi,nucū muſcatarū,caryophyllorū,maceris,omnisq; generis aromatū, tanta copia,quantam vix integræ ædes capere poſſent; pretii ad minus 300000 coronatorū,ſupellex copioſa,domeſtica utenſilia ſummi pretii,rei frumentariæ,panis biscocti, vini,omnisq; generis cōmeatus;qui alendo exercitui ad duos integros menſes liberaliter ſufficeret.Hoſtis,ubi nos adventare cōſpicit, horrea regia & publica, frumento,oryza, pane biscocto,cōmeatu,& apparatu bellico,& claſſico turgentia incendit;ne in noſtrā poteſtatē venirent: ſuburbia tam regaliter inſtructa,ampla&ſpacioſa erāt,ut facilè in illis exercit⁹ noſter conderetur.Propterea Norreysivs quingentos milites ultra cōſuetas vigilias, dies noctesq; in armis eſſe juſsit, hoſtium excurſiones ex op-

pido ut exciperent. Erãt in urbe ad 5000 Hiſpanorũ, quatuorq; civium legiones bene inſtructæ, ultra oppidanorũ & ſuboppidanorũ numerum infinitũ, qui acceptis armis, obſidibusq; datis, ſe in fidem, poteſtatemq; Hiſpani Regis juramento dederat. Erãt præterea triremes duodecim, & unica Galiona, naves bellicæ ſex; quæ ſe ſemper in auſtrali Vlyſsiponis parte tenebant: nihil interim hoſtile memoratu dignũ facientes aut tentãtes. NORREYSIVS ubi tormentis & pulvere egêre, quibus Vlyſsiponẽ oppugnet, hoſtium copias de die in diem cogi & augeri, noſtras ægritudine & æſtu minui, Luſitanos perpaucos eosdemq; inermes venire, cùm nulla ſubſidia ſperaret, cũ exercitu poſt meridiem ad Caſcalim tendere ſtatuit. Rex ANTONIVS falſa ſpe eluſus, ſemper aliquid novi ſperans, (facilè enim quod volumus credimus) poſtulat eam noctẽ maneat. NORREYSIVS habito de ea re, cum Comite ESSEXIO, & tribunis conſilio, ex omniũ conſenſu, regis poſtulatis cõcedit. Nox illa nihil novi peperit: exercitũ manè ex BONA VISTA eduxit, caſtraq; movet: quinq; hoſtiũ triremes, juxta pontẽ in nos ſuis tormentis ejaculãtur; unus miles læditur, & VVILSONI mulus cui inſidebat, interficitur. Hiſpani, ſcientiæ militaris immemores, in poſtremum agmen, nullam impreſſionem, nullum impetũ faciunt. Vbi ad tria millia paſſuum ab oppido abfuimus, trecentos equites in declivi Montis conſpicimus; nihilo ſeciùs, incœptum iter peragimus: oſtentatũ ſuo more, non pugnatum venerant: nihil enim hoſtile agunt, eademq; nocte ſine certamine ad Caſcalim caſtra ponimus. Poſtridie cõvocatis Rege, conſulibus, comite ESSEXIæ & tribunis, habitoq; concilio, multum diuq; agitatur quid proximè agendum. Variis ſententiis certatum; alii modò commeatus ex ANGLIA afferatur, & DRAKVS cum claſſe, arcẽ Iuliani præteriret, exercitum Vlyſsiponem reducendũ; alii Inſulas petendas, aliúdve aliquod facinus tentandum ſuadent: ſed re infecta dimiſſa eſt concio. Proximo die ſub meridiem ab exploratoribus refertur, Comitem de Fontibus PETRVM HENRIQVEZ DE GVZMANO militum Luſitaniæ ductorem, nõ ultra duo millia paſſuum à caſtris noſtris cum exercitũ conſidere; habere ad ſex millia peditum, & quingentos equites; Comitem verbis, literis, impreſsisq; libellulis, ſparſiſſe in vulgus, exercitum Anglorũ Vlyſsipone profligatum, & in fugam verſum. NORREYSIVS indignabundus prima luce poſt mediam noctem literas manu ſua ſubſcriptas, ſigilloq; conſignatas ad Comitem per tubicinem mittit, docet ſe cum exercitu ante meridiem venturũ, ut armis non verbis huiusmodi mendacia redarguat, ipſe modò adventũ ejus præſtoletur; unum ſe petere & deprecari, velit periculũ facere, Anglus an Hiſpanus

25. Maij. 26. Maij. 27. Maij. 28. Maij. 29. Maij.

ſe p[illegible]or

ſe prior in pedes conjiciat. Eodemq; tempore per eundem, Essexiæ Comes, Comitem ad duellũ provocat, aut quemvis Hiſpanũ ſuæ ſortis, & cõditionis, ut ſecum ſive ſingulari certamine, ſive ut decem Angli cum totidem Hiſpanis, plures pauciorésve congrederentur: & ne fortè vim aliquam tubicini inferrent, literarum ſuperſcriptioni hoc addunt; ſi quod ipſi probrum aut damnum facerent, idem Ioanni de Lvna Hiſpano captivo ſe facturos. Exercitus noſter repetè colluſtratur, cenſusq; militũ habetur, ex ſanis non erant peditum ultra quatuor millia, & 40 equites. Cum his Norreysivs manè procedit, incredibile dictu, quanta alacritate milites cũ Hiſpano congredi geſtiunt; Hoſtis interea abiit media nocte cõterritus, nos in armis eſſe, & acies copiasq; inſtruere audiens, trepidè ſolutis ordinibus, ſe in fugam cõjicit: Comes evadit, ſe ſanum, ſalvumq; intra mœnia Vlyſsiponis continet. ſoli aliquot equites conſpectũ noſtrũ nõ ferentes, viſi ac illico fugati. Tubicine Vlyſsiponẽ ad Comitem miſſo, ſine reſponſo reverſo, ſub horam 30. Maij. quartã Norreysivs ſe in caſtra recipit. Prope Caſcalim arx erat, ampla 31. Maij. ſatis, & munita; de iſtius expugnatione & deditione agitur: quę ſtatim aggeribus actis, tormentisq; locatis, ſe in noſtram fidem poteſtatemq; dedidit, ea conditione, ut præſidiarii cum armis & ſarcinis, nullâ injuriâ aut maleficio laceſsiti diſcederent: fide publica conductuq; dato incolumes ad ſuos redeunt: in arce ſex magna tormenta ænea, 40 dolia pulveris tormẽtarii inveniũtur; præſidiariis neq; res cibaria, nec apparatus bellicus defuit. Hîc aliquot dies commorati, commeatum ſubſidiumq; ex Anglia expectantes, 60 naves urbium Hanſaticarum 1. Iunij. annonâ & mercatura onuſtas, in Hiſpanorum uſum, & 20 Britannicas in Vlyſsiponem ituras capimus; militẽ noſtrũ in eas imponimus, Hollandicas dimittimus, frumento pro ſtipendio dato; Gvaltervs Devorevx & Sydneivs in Angliam revertuntur. Poſtridie eius diei con- 2. Iunij. ſilio habito, omniũ conſenſu eſt ad naves acclamatum, ſingulis ſingulę 3. Iunij. deſignatæ; annona diſtribuitur. Sampsonvs cum 7 navibus miſſus, ut 4. Iunij. Bartonvm, quem pręſidio arci Penichæ reliquerant, & tormenta bellica ſecũ ferrẽt. Essexiæ Comes graſſante inter milites epidemia, vino, aranciis, limonibus, fructibusque delicatis minimè aſſuetos, pluribus ægrotantibus, ſummo cũ omnium dolore in Angliam revertitur. Barkervs quem à diſceſſu noſtro à Corona amiſimus, advenit: Crossvs & Plattvs cũ cõmeatu ab Anglia miſsi, nobis fiunt obviam; navibus frumẽtariis ad promontorium auſtrale miſsis, propterea Plattvs uti in mandatis habuit ad eas impigrè perrexit, ut quò tenderent quidve facerẽt cognoſceret. Sexto Id. Iunii arce Caſcalis, pulvere bombard. co

penitus

penitus everſa, ſublatis anchoris, paſſis velis, flante Borea, mari nos cõmittimus. Poſtridie 15 naves noſtras frumentarias, ab alto cõſpeximus, quę eodẽ die ſe nobis adjungunt. Spirante Libonoto ſtatuunt Cõſules Bayonã, ſin ad Boreã mutaretur, ad inſulas cõtendere. Prima luce, ecce novẽ triremes, quæ primò cũ Anglica nave congreſſæ, diuq; pugnãtes eam re infecta relinquunt, duas Hanſaticas adortę, in quarũ altera, erat Maxei Vicarius, in altera Minchonus Centurio: magna diu utrinq; alacritate certatũ, pugna atrox & anceps, alter ut vinceret, alter ut evaderet: mediâ pugnâ caſu, ut ſæpè fit, ingens flamma è navibus emicuit, totæq; concremãtur: quibus etſi propter malaciam & ſerenitatẽ cœli, nullo modo ſubſidio eſſe licuit: Tamen Drakus quantum remorum operâ cõſequi potuit appropinquans, è navis ſuæ prora tormento adacto ſeptẽ unico ictu triremes abegit, reliquæ ſtatim ſequuntur, neq; intra teli jactũ ꝓcedere audebãt, mox in portũ ſe recipiũt, quaſi re bene geſta. Nos hinc illinc variis ventis agitati, non paucis diebus intercedentibus inſulas, Bayonæ primũ, pòſt Vigam conſpeximus: ibi ſub noctem appulſi in anchoris ſtamus. Triginta tres ex noſtris navibus, quę nos præverterant, prope inſulas viſæ, claſſico militi dato, bonorum omnium ex oppido auferendorũ opportunitatẽ hoſti dederunt. Hoſtis tamen tympanorũ ſonitu facto, vigiliis diſpoſitis, eisdemq; relevatis, præ ſe fert oppidi defenſionem, deſcenſusq; noſtri in terram prohibitionem. Prima luce prope oppidũ mille quingentos milites in terram exponimus, qui repẽtè in duo diviſi agmina ad oppidũ tendunt. Drakus interea cum Richardo VVingfeldio in alteram oppidi partem fertur; Fennero navibus ad oppidũ ductis qui tormẽtis plateas everreret juſſo. Hiſpano adventũ noſtrũ non ſuſtinente, omnibus in fugam verſis, oppidũ (nullo reſiſtẽte) ingredimur; miſſis undiq; militibus qui excurſiones facerent, ac vaſtatis agris, vicis ędificiisq; incenſis prędas agerent: Ibiq; totã noctẽ cõmorati, cõſilio habito, proximo die prope inſulas, ſolutis anchoris hærere decrevimus; ibiq; ſtatuere quid denuò eſſet faciendum. Poſtridie ſicut convenerat, oppido penitus accenſo,

21. Iunij. claſsico dato ad naves redimus. Drakus & ventum & ęſtum uno tempore nactus ſecundũ cũ majore claſsis parte ad Angliam provehitur: milites, nautæq; ita catervatim & ſubitò moriuntur, ut non tutum ibi longiùs cõmorari putaret; non ignarus eorũ quæ Claſsiariis ſæpiſsimè uſu veniũt, uſus eſt venti opportunitate. Norreysius ibi biduum expectare cogitur, partim ut aquãdis navibus provideret, partim ut aliquas earum tutò è portu educeret, ne hoſti præda eſſent. Tandẽ mul-

5. Iulij. tis procellis variisq; ventis agitatus, ad 5. nonas Iulii Plimothã appulit.

FINIS.

D590
B592n